ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/deromanacuria0000boje



Blank

B. OJETTI S. I.

DE ROMANA CURIA

COMMENTARIUM

in Constitutionem Apostolicam "Sapienti Consilio,,

SEU

DE CURIAE PIANA REFORMATIONE

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ROMAE
EX COOPERATIVA TYPOGRAPHICA MANUZIO
MCMX

APPROBATIONES ECCLESIASTICAE

Facultatem facimus ut opus P. Benedicti Ojetti S. I., *De Romana Curia Commentarium in Constitutionem Apostolicam "Sapienti Consilio„ seu de Curiae piana reformatione* typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videatur.

Romae in festo Nativitatis dominicae 25 dec. 1909.

AUGUSTUS SPINETTI S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR
Iosephus Ceppetelli Patr. Const. Vicesgerens.

PRAEFATIO

Promulgata a SS. D. N. Pio PP. X constitutione "Sapienti consilio„ non ingratum me facturum iuris canonici studiosis iisque, qui curiis dioecesanis praesunt, existimavi, si commentarium de hac quoque constitutione in lucem ederem. Multa enim in ea clara sunt ex ipsis eius verbis, multa quae facili et logica consecutione ex iisdem deducuntur; nonnulla etiam, quae implicite tantum innuuntur, prout semper in lege condenda necessitas ipsa legislatorem cogit. Exinde dum ex una parte utilitas alicuius commentarii mihi apparuit, ex alia tamen evidens erat opus hoc non paucis scatere difficultatibus, quas fere primus examinandas susciperem. Confisus lectorum benignitati opus aggressus sum. Quae ex ipsis legum novarum verbis non aperte affirmantur aut necessario non deducuntur, ad modum opinantis dicta sint, eaque tum sapientiorum iudicio commissa volo, tum in omnibus legitimae auctoritati, sacrae praesertim Congregationi Consistoriali, definienda subiicio.

Romae, die festo Epiphaniae D. N. I. Ch. 6 ian. 1910.

Benedictus Ojetti S. I.

8733

INDEX

PAG.

PRAEFATIO VII

Constitutio apostolica " Sapienti Consilio „. IX

Lex propria S. Rom. Rotae et Signaturae apostolicae . . . XXIII

Ordo servandus in SS. Congregationibus, tribunalibus, officiis Romanae Curiae:

PARS PRIMA - Normae communes XLIV

PARS ALTERA - Normae peculiares LIX

CONSTITUTIONIS ANALYSIS 1

PARS PRIMA - De his, quae universam Curiam respiciunt . . 3

I. Introductio - Quid Curia romana. Ratio constitutionis. 6

II. Praecipuorum statutorum synthesis. - Animadversiones in praecipuas innovationes a constitutione inductas. 10

III. De discrimine inter res ordinis iudiciarii et administrativi. - Explicatio responsionis S. C. Consistorialis 28 ian. 1909 18

IV. De aliis dubiis a S. Congregatione Consistoriali resolutis. - Animadversiones in decretum 3 iun. 1909 . 27

PARS SECUNDA - De singulis Curiae *δικαστηρίοις* 45

I. SACRAE CONGREGATIONES. . . . . „

§ 1. - De Sacris Congregationibus in genere . . . . „

§ 2. - De Congregatione S. Officii 46

Institutio 48

Constitutio 50

Competentia 52

Modus procedendi 58

§ 3. - De Congregatione Consistoriali 62

Institutio . . . . . „

Constitutio . . . . . „

Competentia. 64

Modus procedendi 69

PAG.

§ 4. - De Congregatione de Sacramentis 70
Institutio . . . . . „
Constitutio . . . . . „
Competentia 71
Modus procedendi 80
§ 5. - De Congregatione Concilii 81
Institutio 82
Constitutio 85
Competentia 88
Modus procedendi 95
§ 6. - De Congregatione negotiis religiosorum sodalium praeposita 96
Institutio . . . . . „
Constitutio 99
Competentia 100
Modus procedendi 104
§ 7. - De Congregatione de Prop. Fide 107
Sectio prima - De ipsa Congregatione de Propaganda Fide. . . . . „
Institutio 108
Constitutio 109
Competentia 110
Modus procedendi 122
Sectio secunda - De Congregatione de Prop. Fide pro negotiis rituum orientalium . . . . . „
Institutio . . . . . „
Constitutio 123
Competentia. 124
Modus procedendi . . . . . „
Sectio tertia - De Commissionibus Congr. de Prop. Fide annexis 126
§ 8. - De Congregatione Indicis 128
Institutio 129
Constitutio 131
Competentia . . . . . „
Modus procedendi . . . . . „
§ 9. - De Congregatione SS. Rituum 135
Sectio prima - De ipsa Congregatione SS. Rituum. „
Institutio . . . . . „
Constitutio 136
Competentia 138
Modus procedendi 140

PAG.

Sectio secunda - De Commissionibus Congr. SS. Rituum annexis 141
a) Commissio seu coetus liturgicus . . . „
b) Commissio seu coetus historico-liturgicus. 142
c) Commissio pro sacro concentu . . . . „
§ 10. - De Congregatione Ceremoniali 144
Institutio . . . . . „
Constitutio . . . . . „
Competentia. 145
Modus procedendi. . . . . „
§ 11. - De Congregatione pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis 146
Institutio . . . . . „
Constitutio 147
Competentia . . . . . „
§ 12. - De Congregatione studiorum 148
Institutio . . . . . „
Constitutio 149
Competentia. . . . . „
Modus procedendi. 151
§ 13. - De Congregatione Lauretana. 152
Institutio . . . . . „
Constitutio . . . . . „
Competentia. . . . . „
Modus procedendi 153
§ 14. - De Congregatione rev. Fabricae S. Petri . . . „
Institutio . . . . . „
Constitutio 155
Competentia. 156
Modus procedendi. 159
II. Tribunalia 161
§ 1. - De Sacra poenitentiaria . . . . . „
Institutio . . . . . „
Constitutio 163
Competentia. 165
Modus procedendi. 169
§ 2. - De Sacra romana Rota 175
Institutio . . . . . „
Constitutio 179
Competentia. 183
Modus procedendi. 185

PAG.

§ 3. - De Signatura apostolica 187
Institutio . . . . . „
Constitutio 194
Competentia . . . . . „
Modus procedendi. 195
III. Officia 197
§ 1. - De Cancellaria Apostolica . . . . . „
Institutio 198
Constitutio 199
Competentia. 206
Modus procedendi. . . . . „
§ 2. - De Dataria apostolica. 210
Institutio . . . . . „
Constitutio 211
Competentia. 212
Modus procedendi. 214
§ 3. - De Camera apostolica 219
Institutio . . . . . „
Constitutio 220
Competentia. . . . . „
§ 4. - De Secretaria Status 222
Institutio . . . . . „
Constitutio . . . . . „
Competentia. 223
§ 5. - De Secretariis brevium ad principes et epistolarum latinarum 224
a) De secretaria brevium ad principes . . „
b) De secretaria epistolarum latinarum. . „
Appendix - De peculiaribus coetibus independentibus. . . . 225
a) De coetu studiis provehendis S Scripturae. „
b) De coetu studiis provehendis historiae . . 226
c) De coetu obulo S. Petri administrando . . 227
d) De coetu fidei in Urbe praeservandae . . „
e) De commissione ecclesiae legibus in unum redigendis . . . . . „
Addenda 229

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE ROMANA CURIA

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Sapienti consilio sa. me. Pontifex Xystus V, Decessorum vestigiis inhaerens eorumque coepta perficiens, sacros Cardinalium coetus, seu Romanas Congregationes, quarum aliquot iam erant ad certa negotia institutae, augeri numero voluit, ac suis quamque finibus contineri. Quare Apostolicis Litteris die XXII mensis Ianuarii an. MDLXXXVII, queis initium, *Immensa*, eiusmodi Congregationes constituit quindecim, ut, " partita inter eos aliosque romanae Curiae magistratus ingenti curarum negociorumque mole, „ quae solet ad Sanctam Sedem deferri, iam necesse non esset tam multa in Consistorio agi ac deliberari, simulque possent controversiae diligentius expendi, et celerius faciliusque eorum expediri negotia, qui undique, sive studio religionis ac pietatis, sive iuris persequendi, sive gratiae impetrandae, aliisve de causis ad Summum Pontificem confugerent.

Quantum vero utilitatis ex sacris his Congregationibus accesserit sive ad ecclesiasticam disciplinam tuendam, sive ad iustitiam administrandam, sive ad ipsos Romanos Pontifices relevandos, crescentibus in dies curis negotiisque distentos, compertum ex Ecclesiae historia exploratumque omnibus est.

Verum decursu temporis ordinatio Romanae Curiae a Xysto V potissimum per memoratas Apostolicas Litteras constituta, haud integra perstitit. Nam et Sacrarum Congregationum numerus, pro rerum ac temporum necessitatibus, modo auctus est, modo deminutus; atque ipsa iurisdictio unicuique Congregationi primitus attributa, modo novis Romanorum Pontificum praescriptis, modo usu aliquo sensim inducto ratoque habito, mutationibus obnoxia fuit. Quo factum est ut hodie singularum iurisdictio, seu *competentia*, non omnibus perspicua nec bene divisa evaserit; plures ex Sacris Congregationibus eâdem de re ius dicere valeant, et nonnullae ad pauca tantum negotia expedienda redactae sint, dum aliae negotiis obruuntur.

Quapropter haud pauci Episcopi ac sapientes viri, maxime vero S. R. E. Cardinales, tum scriptis tum voce, et apud Decessorem Nostrum fel. rec. Leonem XIII, et apud Nos ipsos saepe institerunt ut opportuna remedia hisce incommodis afferrentur. Quod Nos quidem pro parte praestare curavimus datis Litteris die XVII mensis Decembris anno MCMIII, *Romanis Pontificibus:* aliisque datis die XXVIII mensis Ianuarii anno MCMIV, *Quae in Ecclesiae bonum;* itemque aliis datis die XXVI mensis Maii anno MCMVI, *Sacrae Congregationi super negotiis.*

Cum vero in praesenti res quoque sit de ecclesiasticis legibus in unum colligendis, maxime opportunum visum est a Romana Curia ducere initium, ut ipsa, modo apto et omnibus perspicuo ordinata, Romano Pontifici Ecclesiaeque opĕram suam praestare facilius valeat et suppetias ferre perfectius.

Quamobrem, adhibitis in consilium pluribus S. R. E. Cardinalibus, statuimus ac decernimus, ut Congregationes, Tribunalia et Officia, quae Romanam Curiam componunt et quibus Ecclesiae universae negotia pertractanda reservantur, post ferias autumnales decurrentis anni, hoc est a die III mensis Novembris MDCCCCVIII, non alia sint, praeter consueta sacra Consistoria, quam quae praesenti Constitutione decernuntur, eaque numero, ordine, competentia, divisa et constituta maneant his legibus, quae sequuntur.

I. — SACRAE CONGREGATIONES.

1° CONGREGATIO SANCTI OFFICII.

1. Haec Sacra Congregatio, cui Summus Pontifex praeest, doctrinam fidei et morum tutatur.

2. Eidem proinde soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus, quae suspicionem haeresis inducunt.

3. Ad ipsam quoque devoluta est universa res de Indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat.

4. Quidquid ad Ecclesiae praecepta refertur, uti abstinentiae, ieiunia, festa servanda, id omne, huic Sacro Consilio sublatum, Congregationi Concilii tribuitur; quidquid ad Episcoporum electionem spectat, sibi vindicat Congregatio Consistorialis; relaxationem vero votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum, Congregatio negotiis sodalium religiosorum praeposita.

5. Etsi peculiaris Congregatio sit constituta *de disciplina Sacramentorum*, nihilominus integra manet Sancti Officii facultas ea cognoscendi quae circa privilegium, uti aiunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, praeter ea quae attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis Sacramentis, doctrinam.

2° CONGREGATIO CONSISTORIALIS.

1. Duas haec Sacra Congregatio, easque distinctas partes complectitur.

2. Ad primam spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxiis novas dioeceses et *capitula* tum *cathedralia* tum *collegiata* constituere; dioeceses iam constitutas dividere; Episcopos, Administratores apostolicos, Adiutores et Auxiliarios Episcoporum eligere; canonicas inquisitiones seu *processus* super eligendis indicere actosque diligenter expendere; ipsorum periclitari doctrinam. At si viri eligendi vel dioeceses constituendae aut dividendae sint extra Italiam, administri Officii a publicis

negotiis, vulgo *Secretariae Status*, ipsi documenta excipient et *Positionem* conficient, Congregationi Consistoriali subiiciendam.

3. Altera pars ea omnia comprehendit, quae ad singularum dioecesium regimen, modo Congregationi de Propaganda Fide subiectae non sint, universim referuntur, quaeque ad Congregationes Episcoporum et Concilii hactenus pertinebant, et modo Consistoriali tribuuntur. Ad hanc proinde in posterum spectent vigilantia super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur; cognitio eorum quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium; indictio apostolicarum visitationum, examenque earum quae fuerint absolutae, et, post fidelem rerum expositionem ad Nos delatam singulis vicibus, praescriptio eorum, quae aut necessaria visa fuerint aut opportuna; denique ea omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent.

4. Huius Congregationis erit, in conflictatione iurium, dubia solvere circa *competentiam* Sacrarum Congregationum.

5. Huius Sacri Consilii Summus Pontifex perget esse Praefectus. Eique Cardinales *a secretis* S. Officii et *Secretarius Status* semper ex officio accensentur, praeter alios, quos Summus Pontifex eidem adscribendos censuerit.

6. A secretis semper esto Cardinalis a Summo Pontifice ad id munus eligendus; alter ab ipso erit Praelatus, cui *Adsessoris* nomen, qui idem fungetur munere a secretis Sacri Collegii Patrum Cardinalium, et sub ipso sufficiens administrorum numerus.

7. Consultores huius Congregationis erunt *Adsessor* Sancti Officii; et a *secretis* Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, durante munere: quibus accedent alii, quos Summus Pontifex elegerit.

3° CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM.

1. Est huic Sacrae Congregationi proposita universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis Sancti Officii, secundum ea quae superius statuta sunt,

et Sacrorum Rituum Congregationis circa caeremonias quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

2. Itaque eidem Congregationi tribuuntur ea omnia, quae huc usque ab aliis Congregationibus, Tribunalibus aut Officiis Romanae Curiae decerni concedique consueverant tum in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio prolis; tum in disciplina aliorum Sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae ad moderandam eorumdem ordinationem; dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones Eucharistiae sumendae, Sacri litandi, adservandi Augustissimi Sacramenti; aliaque id genus.

3. Quaestiones quoque de validitate matrimonii vel sacrae Ordinationis, aliasque ad Sacramentorum disciplinam spectantes, eadem Congregatio dirimit, incolumi iure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi questiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad Sacrae Romanae Rotae tribunal remittat.

4. Congregationi huic, quemadmodum ceteris omnibus quae sequuntur, erit Cardinalis Praefectus, qui praeerit sacro Ordini, aliquot Patribus Cardinalibus a Pontifice Summo eligendis conflato cum *Secretario* aliisque necessariis administris et consultoribus.

4° CONGREGATIO CONCILII.

1. Huic Sacrae Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quae ad universam disciplinam Cleri saecularis populique christiani refertur.

2. Quamobrem ipsius est curare ut Ecclesiae praecepta serventur, cuius generis sunt ieiunium (excepto eucharistico, quod ad Congregationem de disciplina Sacramentorum pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate op-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

portune relaxandi ab his legibus fideles: moderari quae Parochos et Canonicos spectant; item quae pias Sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana, aliaque huiusmodi, attingunt. Videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent. Eidem Congregationi facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectet.

3. Ad eamdem pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum coetus seu *conferentias* referuntur, suppressa Congregatione speciali, quae hactenus fuit, pro Conciliorum revisione.

4. Est autem haec Congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quas ratione disciplinae, seu, ut vulgo dicitur, *in linea disciplinari* pertractandes iudicaverit; cetera ad Sacram Romanam Rotam erunt deferenda.

5. Congregationi Concilii adiungitur et unitur, qua Congregatio specialis, ea quae *Lauretana* dicitur.

5° CONGREGATIO NEGOTIIS RELIGIOSORUM SODALIUM PRAEPOSITA.

1. Haec Sacra Congregatio iudicium sibi vindicat de iis tantum, quae ad Sodales religiosos utriusque sexus tum solemnibus, tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines saeculares, in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis.

2. Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit, quae sive inter Episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae, seu, ut dici solet, *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive convento sive actore; ceterae ad Sacram Romanam Rotam erunt deferendae, incolumi

semper iure Sancti Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes.

3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis.

6° CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE.

1. Sacrae huius Congregationis iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Verum, quia regiones nonnullae, etsi hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt, eas Congregationi de Propaganda Fide subiectas esse volumus.

2. Itaque a iurisdictione Congregationis de Propaganda Fide exemptas et ad ius commune deductas decernimus - in *Europa* - ecclesiasticas provincias Angliae, Scotiae, Hiberniae, et Hollandiae, ac dioecesim Luxemburgensem; - in *America* - provincias ecclesiasticas dominii Canadensis, Terrae Novae et Foederatarum Civitatum, seu *Statuum Unitorum*. Negotia proinde quae ad haec loca referuntur tractanda in posterum non erunt penes Congregationem de Propaganda Fide, sed, pro varia eorumdem natura, penes Congregationes ceteras.

3. Reliquae ecclesiasticae provinciae ac dioeceses, iurisdictioni Congregationis de Propaganda Fide hactenus subiectae, in eius iure ac potestate maneant. Pariter ad eam pertinere decernimus Vicariatus omnes Apostolicos, Praefecturas seu missiones quaslibet, eas quoque quae Congregationi a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis modo subsunt.

4. Nihilominus, ut unitati regiminis consulatur, volumus ut Congregatio de Propaganda Fide ad peculiares alias Congregationes deferat quaecumque aut fidem attingunt, aut matrimonium aut sacrorum rituum disciplinam.

5. Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicet quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos, sive simul sumptos tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos, sive simul sumptos attingit, ad Con-

gregationem Religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat.

6. Unitam habet Congregationem pro negotiis Rituum Orientalium, cui integra manent quae huc usque servata sunt.

7. Praefectura specialis pro re oeconomica esse desinit; omnium vero bonorum administratio, etiam *Reverendae Camerae Spoliorum* ipsi Congregationi de Propaganda Fide committitur.

8. Cum hac Congregatione coniungitur Coetus pro *unione Ecclesiarum dissidentium.*

7° CONGREGATIO INDICIS.

1. Huius sacrae Congregationis in posterum erit non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos si oportuerit, prohibere, et exemptiones concedere; sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, si quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis, damnanda; et in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere, eaque Sanctae Sedi denunciare, ad normam Const. *Officiorum,* XXV Ian. MDCCCXCVII.

2. Cum vero librorum prohibitio persaepe propositam habeat catholicae fidei defensionem, qui finis est etiam Congregationis Sancti Officii, decernimus ut in posterum omnia quae ad librorum prohibitionem pertinent, eaque sola, utriusque Congregationis Patres Cardinales, Consultores, Administri secum invicem communicare possint, et omnes hac de re eodem secreto adstringantur.

8° CONGREGATIO SACRORUM RITUUM.

1. Haec Sacra Congregatio ius habet videndi et statuendi ea omnia, quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura, aliaque id genus, de quibus, sive servato iudiciario ordine sive ratione disciplinae, hoc est, uti aiunt, *in linea disciplinari* disceptetur.

2. Eius proinde est praesertim advigilare ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.

3. Denique ea omnia exequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad Sacras Reliquias quoquo modo referentur.

4. Huic Congregationi adiunguntur Coetus *liturgicus,* Coetus *historico-liturgicus* et Coetus *pro sacro concentu.*

9° CONGREGATIO CAEREMONIALIS.

Haec Sacra Congregatio iura hactenus ipsi tributa integra servat; ideoque ad eam pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum, et sacrarum functionum, quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quaestiones cognoscit de praecedentia tum Patrum Cardinalium, tum Legatorum, quos variae nationes ad Sanctam Sedem mittunt.

10° CONGREGATIO PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS.

In ea tantum negotia Sacra haec Congregatio incumbit, quae eius examini subiiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem *Secretarium Status*, praesertim ex illis quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur.

11° CONGREGATIO STUDIORUM.

Est huic Sacrae Congregationi commissa moderatio studiorum in quibus versari debeant maiora athenea, seu quas vocant

Universitates, seu Facultates, quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et, ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.

II. — TRIBUNALIA.

1° SACRA POENITENTIARIA.

Huius sacri iudicii seu tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea dumtaxat quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt. Itaque, externi fori dispensationibus circa matrimonium ad Congregationem de disciplina Sacramentorum remissis, hoc tribunal pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit praeterea quaestiones conscientiae, easque dirimit.

2° SACRA ROMANA ROTA.

Quum Sacrae Romanae Rotae tribunal, anteactis temporibus omni laude cumulatum, hoc aevo variis de causis iudicare ferme destiterit, factum est ut Sacrae Congregationes forensibus contentionibus nimium gravarentur. Huic incommodo ut occurratur, iis inhaerentes, quae a Decessoribus Nostris Xysto V, Innocentio XII et Pio IX sancita fuerunt, non solum iubemus " per Sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes „ (Litt. Secretariae Status, XVII Aprilis MDCCXXVIII); sed praeterea decernimus, ut causae omnes contentiosae non maiores, quae in Romana Curia aguntur, in posterum devolvantur ad Sacrae Romanae Rotae tribunal, quod hisce litteris rursus in exercitium revocamus iuxta *Legem propriam,* quam in appendice praesentis Constitutionis ponimus, salvo tamen iure Sacrarum Congregationum, prout superius praescriptum est.

3° SIGNATURA APOSTOLICA.

Item supremum Signaturae Apostolicae tribunal restituendum censemus, et praesentibus litteris restituimus, seu melius instituimus, iuxta modum qui in memorata *Lege* determinatur, antiqua ordinatione tribunalium *Signaturae papalis gratiae et iustitiae* suppressa.

III. — OFFICIA.

1° CANCELLARIA APOSTOLICA.

1. Huic officio praesidet unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui posthac Cancellarii, non autem Vice-Cancellarii nomen assumet. Ipse iuxta pervetustam consuetudinem in sacris Consistoriis, ex officio, notarii munere fungitur.

2. Ad Cancellariae officium in posterum hoc unum tamquam proprium reservatur munus, Apostolicas expedire litteras *sub plumbo* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novarum dioecesium et capitulorum institutionem, et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis.

3. Unus erit earum expediendarum modus, hoc est per *viam Cancellariae,* iuxta normam seorsim dandam, sublatis iis modis qui dicuntur per *viam secretam, de Camera* et *de Curia.*

4. Expedientur memoratae litterae seu *bullae* de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad eius iurisdictionem spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alia negotia, servatis ad unguem in singulis casibus ipsius mandati terminis.

5. Suppresso collegio Praelatorum, qui dicuntur *Abbreviatores maioris vel minoris residentiae,* seu *de parco maiori vel minori;* quae ipsius erant munia in subscribendis apostolicis bullis transferuntur ad collegium Protonotariorum Apostolicorum, qui vocantur *participantes de numero.*

2° DATARIA APOSTOLICA.

1. Huic officio praeest unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui in posterum Datarii, non vero Pro-Datarii nomen obtinet.

2. Ad Datariam in posterum hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de idoneitate eorum qui optant ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata; conficere et expedire Apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

3. In his omnibus agendis normas peculiares sibi proprias, aliasque seorsim dandas servabit.

3° CAMERA APOSTOLICA.

Huic Officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur. Ei officio praeest S. R. E. Cardinalis Camerarius, qui in suo munere, Sede ipsa vacua, exercendo se geret ad normas exhibitas a Const. *Vacante Sede Apostolica*, XXV Dec. MDCCCCIV.

4° SECRETARIA STATUS.

Officium hoc, cuius est supremus moderator Cardinalis a *Secretis Status*, hoc est a publicis negotiis, triplici parte constabit. Prima pars in negotiis extraordinariis versabitur, quae Congregationi iisdem praepositae examinanda subiici debent, ceteris, pro diversa eorum natura, ad peculiares Congregationes remissis; altera in ordinaria negotia incumbet, ad eamque, inter cetera, pertinebit honoris insignia quaeque concedere tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis quae Antistiti pontificali domui Praeposito sunt reservata; tertia expeditioni Apostolicorum Brevium, quae a variis Congregationibus ei committuntur, vacabit. — Primae praeerit *Secretarius* Congregationis pro negotiis extraordinariis; alteri *Substitutus* pro negotiis ordinariis; tertiae *Cancellarius* Brevium Apostolicorum. Inter harum partium praesides primus est *Secretarius* Sacrae Congregationis negotiis extraordinariis praepositae, alter *Substitutus* pro ordinariis negotiis.

5° SECRETARIAE BREVIUM

AD PRINCIPES ET EPISTOLARUM LATINARUM.

Duplex hoc officium sua munia, ut antea, servabit, latine scribendi acta Summi Pontificis.

In posterum vero in omnibus Apostolicis Litteris, sive a *Cancellaria* sive a *Dataria* expediendis, initium anni ducetur, non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die XXV mensis Martii, sed a Kalendis Ianuarii.

Itaque Congregationes, Tribunalia, Officia, quae diximus, post hac Romanam Curiam constituent, servata eorum quae ante Nostras has litteras exstabant, propria constitutione, nisi immutata fuerit secundum superius praescripta aut secundum legem ac normas sive generales sive speciales quae Constitutioni huic adiiciuntur.

Congregatio quae dicitur *Reverendae fabricae S. Petri*, in posterum unam sibi curandam habebit rem familiarem Basilicae Principis Apostolorum, servatis ad unguem in hac parte normis a Benedicto XIV statutis Const. *Quanta curarum* die XV mensis Novembris MDCCLI data.

Coetus *studiis provehendis* sive *Sacrae Scripturae*, sive *historiae; Obulo S. Petri administrando; Fidei in Urbe praeservandae,* permanent in statu quo ante.

Sublata Congregatione *Visitationis Apostolicae Urbis*, quae ipsius erant iura et munia, ad peculiarem Patrum Cardinalium coetum, penes urbis Vicariatum constituendum, deferimus.

In omnibus autem et singulis superius recensitis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis hoc in primis solemne sit, ut nil grave et extraordinarium agatur, nisi a moderatoribus eorumdem Nobis Nostrisque pro tempore Successoribus fuerit ante significatum.

Praeterea, sententiae quaevis, sive gratiae via, sive iustitiae, pontificia approbatione indigent, exceptis iis pro quibus eorumdem Officiorum, Tribunalium et Congregationum moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque semper sententiis tribunalis Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae de ipsarum competentia latis.

Huic Constitutioni accedunt leges propriae, ac normae tum generales tum particulares, quibus disciplina et modus tractandi negotia in Congregationibus, Tribunalibus, Officiis praestituitur; quas leges et normas ad unguem ab omnibus observari mandamus.

Atque haec valere quidem debent Apostolica Sede plena; vacuâ enim standum legibus et regulis in memorata Constitutione " *Vacante Sede Apostolica* „ statutis.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et illis ad quos spectat aut pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuslibet etiam specialissima mentione dignis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo octavo, die festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, III Kal. Iulias, Pontificatus Nostri anno quinto.

A. Card. DI PIETRO
Pro-Datarius

R. Card. MERRY DEL VAL
A Secretis Status

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

V. Cugnonius.

Lex propria Sacrae Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae

TITULUS I.

SACRA ROMANA ROTA.

Cap. I. — *De constitutione Sacrae Romanae Rotae.*

Can. 1.

§ 1. Sacra Romana Rota decem Praelatis constat a Romano Pontifice electis, qui Auditores vocantur.

§ 2. Hi sacerdotes esse debent, maturae aetatis, laurea doctorali saltem in theologia et iure canonico praediti, honestate vitae, prudentia, et iuris peritia praeclari.

§ 3. Cum aetatem septuaginta quinque annorum attigerint emeriti evadunt, et a munere iudicis cessant.

Can. 2.

§ 1. Sacra Rota Collegium constituit, cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares.

§ 2. Auditores post Decanum ordine sedent ratione antiquioris nominationis, et in pari nominatione ratione antiquioris ordinationis ad sacerdotium, et in pari nominatione et ordinatione presbyterali, ratione aetatis.

§ 3. Vacante decanatu, in officium decani ipso iure succedit qui primam sedem post decanum obtinet.

Can. 3.

§ 1. Singuli Auditores, probante Rotali Collegio et accedente consensu Summi Pontificis, eligant sibi unum studii adiutorem, qui laurea doctorali iuris saltem canonici in publica universitat

studiorum, vel facultate a Sancta Sede recognitis donatus sit, et religione vitaeque honestate praestet.

§ 2. Adiutor in suo munere explendo de mandato sui Auditoris agere debet, et manet in officio ad eiusdem nutum.

Can. 4.

§ 1. Erunt insuper in Sacra Rota promotor iustitiae pro iuris et legis tutela, et defensor sacri vinculi matrimonii, professionis religiosae et sacrae ordinationis.

§ 2. Hi sacerdotes esse debent, laurea doctorali in theologia et in iure saltem canonico insigniti, maturae aetatis, et prudentia ac iuris peritia praestantes.

§ 3. Eligentur a Summo Pontifice, proponente rotali Auditorum Collegio.

Can. 5.

§ 1. Constituentur etiam notarii, quot necessarii sunt pro actibus Sacrae Rotae rogandis, qui praeterea actuarii et cancellarii munere in sacro tribunali fungentur.

§ 2. Duo saltem ex his erunt sacerdotes: et in causis criminalibus clericorum vel religiosorum his dumtaxat reservatur notarii et actuarii munus.

§ 3. Omnes eligentur a Collegio Rotali ex concursu iuxta regulam pro ceteris Sanctae Sedis officiis datam: eorumque electio confirmanda erit a Summo Pontifice.

Can. 6.

§ 1. Unus vel duo laici maturae aetatis et probatae vitae constituentur pro custodia sedis et aulae Sacrae Rotae, qui, quoties necesse sit, cursorum et apparitorum officia praestabunt.

§ 2. Erigentur a Rotali Collegio cum suffragiorum numero absolute maiore.

Can. 7.

§ 1. Singuli Sacrae Rotae Auditores, post nominationem, ante quam iudicis officium suscipiant, coram universo Collegio, adstante uno ex notariis sacri tribunalis, qui actum rogabit, iusiurandum dabunt de officio rite et fideliter implendo.

§ 2. Idem iusiurandum dabunt singuli adiutores Auditorum, et tribunalis administri coram Sacrae Rotae Decano, adstante pariter uno ex notariis.

Can. 8.

In re criminali, in causis spiritualibus et in aliis, quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus obvenire potest, vel ab ipso tribunali secretum impositum fuit, Auditores, adiutores Auditorum et tribunalis administri tenentur ad secretum officii.

Can. 9.

§. 1. Auditores qui secretum violaverint, aut ex culpabili negligentia vel dolo grave litigantibus detrimentum attulerint, tenentur de damnis: et ad instantiam partis laesae, vel etiam ex officio, Signaturae Apostolicae iudicio a SSmo confirmato, puniri possunt.

§ 2. Tribunalis administri et adiutores Auditorum, qui similia egerint, pariter tenentur de damnis; et ad instantiam partis laesae, aut etiam ex officio, Rotalis Collegii iudicio, pro modo damni et culpae puniri possunt.

Can. 10.

§ 1. Declaratio fidelitatis exemplarium cum autographo a notariis fieri potest ad instantiam cuiuslibet petentis.

§ 2. Extrahere vero documenta ex archivio, illaque petentibus communicare, notarii non possunt nisi de mandato Praesidis turni

coram quo causa agitur, si ad effectum causae documentum postuletur: de mandato Decani, si aliquod documentum ob alium finem requiratur.

Can. 11.

Sacra Rota, duabus formis ius dicit, aut per *turnos* trium Auditorum, aut videntibus omnibus, nisi aliter pro aliqua particulari causa Summus Pontifex statuerit sive ex se, sive ex consulto sacrae alicuius Congregationis.

Can. 12.

§ 1. Turni hoc ordine procedent. Primus turnus constituitur ex tribus ultimis Auditoribus; secundus et tertius ex sex praecedentibus; quartus ex decano et duobus ultimis Auditoribus, qui denuo in turni seriem redeunt; quintus et sextus turnus ex Auditoribus sex qui praecedunt; septimus ex subdecano et decano rotali una cum ultimo Auditore, qui rursus in seriem venit; denique octavus, nonus et decimus turnus ex novem reliquis Auditoribus: et sic deinceps, servata ea vice perpetuo.

§ 2. Turni in iudicando sibi invicem succedunt iuxta ordinem temporis, quo causae delatae sunt ad Sacrae Rotae tribunal.

§ 3. Si, iudicata iam ab uno turno aliqua causa, opus sit secunda sententia, causam videt turnus qui proxime subsequitur, etsi hic aliam causam iuxta superiorem paragraphum iudicandam assumpserit. Et si opus sit tertia sententia, eodem modo turnus, qui duos praecedentes proxime subsequitur, causam videndam suscipit.

§ 4. In unoquoque turno, seu Auditorum coetu, praeses est semper Auditor cui prior locus competit.

§ 5. Si quis infirmitate aut alia iusta causa impeditus partem in iudicando in suo turno habere non possit, praevio Decani decreto, eum supplet primus Auditor liber, non proximi quidem turni, sed alterius subsequentis.

Quod si opus sit tertia rotali sententia, impeditum Auditorem supplet decimus rotalis, vel alius qui partem in tribus turnis non habet.

§ 6. Auditor ob impedimentum alterius rotalis suffectus, etsi senior, praeses turni esse non potest, quoties causa iam coepta sit, et Praeses alius constitutus.

Can. 13.

Circa vacationes Rotale tribunal eiusque administri eadem utentur regula ac cetera Sancta Sedis officia.

Cap. II. — *De competentia Sacrae Romanae Rotae.*

Can. 14.

§ 1. Sacra Rota iudicat in prima instantia causas, quas sive motu proprio, sive ad instantiam partium Romanus Pontifex ad suum tribunal avocaverit, et Sacrae Rotae commiserit; easque, si opus sit, ac nisi aliter cautum sit in commissionis rescripto, iudicat quoque in secunda et in tertia instantia, ope turnorum subsequentium iuxta praescripta *can. 12.*

§ 2. Iudicat in secunda instantia causas quae a tribunali Emi Urbis Vicarii et ab aliis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint, et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferuntur. Itemque eas iudicat, si opus sit, etiam in tertia iuxta modum in *can. 12* praescriptum.

§ 3. Iudicat denique in ultima instantia causas ab Ordinariis et ab aliis quibusvis tribunalibus in secundo vel ulteriori gradu iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint, et per legitimam appellationem ad Sanctam Sedem deferuntur.

§ 4. Videt quoque de recursibus pro restitutione in integrum a sententiis quibusvis, quae transierint in rem iudicatam et remedium invenire non possunt apud iudicem secundae instantiae

iuxta titulum *De rest. in integr.;* dummodo tamen non agatur de re iudicata ex sententia Sacrae Romanae Rotae; et in his iudicat tum de forma, tum de merito.

Can. 15.

Causae maiores, sive tales sint ratione obiecti, sive ratione personarum, excluduntur ab ambitu competentiae huius tribunalis.

Can. 16.

Contra dispositiones Ordinariorum, quae non sint sententiae forma iudiciali latae, non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam; sed eorum cognitio Sacris Congregationibus reservatur.

Can. 17.

Defectus auctoritatis Sacrae Rotae in videndis causis, de quibus in duobus canonibus praecedentibus, est absolutus, ita ut ne obiter quidem de his cognoscere queat, et si tamen sententiam proferat, haec ipso iure sit nulla.

Cap. III. — *De modo iudicandi Sacrae Romanae Rotae.*

Can. 18.

§ 1. Partes per se ipsae possunt se sistere et iura sua dicere coram Sacra Rota.

§ 2. Si quem tamen sibi assumant advocatum, hunc eligere debent inter approbatos iuxta tit. III huius legis.

§ 3. Advocatus, aut qua consultor et adsistens, aut qua patronus, cui causa defendenda ex integro commissa maneat, a parte

eligi potest: in utroque casu tradi ei debet mandatum in scriptis, quod exhibendum est tribunali, et servandum in actis.

§ 4. Advocatus ad adsistendum assumptus tenetur clientem instruere, prout et quatenus opus sit, de regulis et usu sacri tribunalis, opportuna consilia de modo agendi eidem praebere, et defensionem ac responsionem cum eo subsignare.

§ 5. Si partes per se ipsae etiam cum adsistente advocato ut in § 3, defensionem suam suscipiant, uti possunt in defensionis et responsionis scriptura vernacula lingua a sacro tribunali admissa.

§ 6. In quolibet tamen casu unica semper esse debet defensionis et responsionis scriptura, hoc est aut partis aut eius patroni: numquam vero duplex, id est utriusque.

Can. 19.

§ 1. Cum ad Sacrae Rotae protocollum pervenerit appellatio aliqua, aut commissio iudicandi aliquam causam in forma ordinaria, appellationis libellus aut litterae commissoriae ex Decani mandato transmittuntur Auditorum turno ad quem spectat iudicium in ordine et vice sua iuxta praecedentem *can. 12*; turnus autem, assumpta causa, procedit ad eius examen iuxta ordinarias iuris normas.

§ 2. Quod si commissio iudicandi facta sit, non in forma ordinaria, sed speciali, idest videntibus quinque, vel septem, vel omnibus Auditoribus, aut dumtaxat pro voto; Sacra Rota servare in primis debet commissionis formam iuxta tenorem rescripti, et in reliquis iuxta regulas iuris communis et sibi proprias procedere.

Can. 20.

Quoties quaestio in Sacra Rota fiat circa exsecutionem provisoriam alicuius sententiae aut circa inibitionem exsecutionis, res inappellabili sententia a solo Praeside turni, ad quem iudicium causae in merito spectaret, est definienda.

Can. 21.

Praeses turni, seu Auditorum coetus, qui tribunal constituit, per se est etiam Ponens seu Relator causae. Quod si iustam habeat rationem declinandi hoc officium, auditis ceteris turni seu coetus Auditoribus, suo decreto statuet qui vice sua Ponentis munus suscipiat.

Can. 22.

§ 1. Si in aliqua causa opus sit instructione processus, instructio fiat iuxta receptas canonicas regulas.

§ 2. Ponens autem seu Relator non potest simul esse causae instructor, sed hoc officium a Decano debet demandari alicui Auditori alterius turni.

Can. 23.

§ 1. Causa coram Sacra Rota introducta et instructa, actor, vel etiam conventus, si ipsius intersit, Ponentem rogabit ut diem dicat alteri parti pro contestatione litis, seu concordatione dubiorum.

§ 2. Ponens, vel eius studii adiutor, in calce libelli diem constituet. Quod in exemplari authentico alteri parti communicari statim debet.

Can. 24.

§ 1. Si die assignata pro concordatione dubiorum pars in ius vocata non compareat, et legitimam excusationem absentiae dare negligat, contumax declarabitur, et dubiorum formula ac dies propositionis causae ad postulationem partis praesentis et diligentis ex officio statuetur: idque statim ex officio notum fiet alteri parti, ut, si velit, excipere possit contra dubiorun formulam, et a contumacia se purgare, constituto ad hoc a Ponente vel eius studii Adiutore congruo temporis termino.

§ 2. Si partes praesentes sint, et conveniant in formula dubii atque in die propositionis causae, et Ponens vel eius Adiutor ex

parte sua nil excipiendum habeant, dabitur opportunum decretum quo id constabiliatur.

§ 3. Si vero partes non conveniant in formula dubii, aut in die propositionis causae: itemque si Ponens vel eius Adiutor censeant acceptari non posse partium conclusiones definitio controversiae reservatur iudicio totius turni; qui quaestione incidentali discussa decretum ad rem feret.

§ 4. Dubiorum formula utcumque statuta mutari non potest nisi ad instantiam alicuius partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, audita altera parte, novo Ponentis vel turni decreto, prout fuerit vel a Ponente vel a turno statuta.

§ 5. Dies eodem modo mutari potest; sed haec mutatio fieri potest etiam ex officio, si Ponens vel turnus necessarium ducant.

Can. 25.

§ 1. Sententiae, decreta et acta quaelibet contra quae expostulatio facta sit, exhibenda sunt Sacrae Rotae saltem decem dies ante litis contestationem.

§ 2. Documenta que partes in propriae thesis suffragium producenda habent, triginta saltem dies ante causae discussionem deponenda sunt in protocollo Sacrae Rotae, ut a iudicibus et tribunalis administris atque ab altera parte examinari possint in ipso loco protocolli, unde ea asportari non licet.

§ 3. Debent autem esse legitima forma confecta, et exhibenda sunt in forma authentica, colligata in fasciculo, cum adiecto rerum indice, ne subtrahi aut deperdi possint.

Can. 26.

§ 1. Defensio typis est imprimenda: et triginta dies ante causae discussionem (*eodem nempe tempore ac documenta de quibus in can. praec. deponenda sunt in protocollo rotali*) distribuenda est duplici exemplari singulis iudicibus, notariis protocolli et archivii, itemque promotori iustitiae et vinculi defen-

sori, si iudicio intersint. Commutari praeterea debet cum altera parte, aut partibus, ut responsioni locus hinc inde fiat.

§ 2. Defensioni adiungendum est Summarium, typis pariter impressum, in quo documenta potiora contineantur.

Can. 27.

§ 1. Responsiones decem dies ante causae discussionem, idest viginti dies post distributionem defensionis, exhibendae sunt una cum novis documentis, si quae adiungenda partes habeant, servatis etiam hoc in casu regulis *can. 24 et can. 25.*

§ 2. Quo facto conclusum in causa reputabitur: et partibus eorumque patronis seu procuratoribus iam non licebit quidpiam adiungere aut scribere.

§ 3. Si tamen agatur de repertis novis documentis, fas semper est ea producere. Sed in eo casu pars exhibens probare tenetur se ea documenta nonnisi ad ultimum reperisse. Admissis vero his novis documentis, Ponens debet congruum tempus alteri parti concedere ut super iisdem respondere possit. Aliter nullum erit iudicium.

§ 4. In potestate autem et officio Ponentis est documenta futilia ad moras nectendas exhibita respuere.

Can. 28.

Spatia temporum superioribus canonibus constituta prorogari possunt a iudice ad instantiam unius partis, altera prius audita, vel etiam coarctari, si ipse iudex necessarium duxerit, consentientibus tamen partibus.

Can. 29.

§ 1. Defensionis scriptura excedere non debet viginti paginas formae typographicae ordinariae folii romani. Responsiones decem paginas.

§ 2. Si ob gravitatem, difficultatem, aut grande volumen documentorum parti vel patrono necesse sit hos limites excedere, a Ponente supplici libello id ipsi impetrabunt. Ponens autem decreto suo statuet numerum ulteriorem paginarum quem concedit, quemque praetergredi nefas est.

§ 3. Exemplar tum defensionis tum responsionis antequam edatur exhibendum est Ponenti vel eius studii adiutori, ut imprimendi atque evulgandi facultas impetretur.

§ 4. Nulla scriptura Sacrae Rotae destinata typis edi potest, nisi in typographia a Collegio Sacrae Rotae approbata.

Can. 30.

Quae dicuntur *informationes orales ad iudicem,* in Sacra Rota prohibentur: admittitur tamen moderata disputatio ad elucidationem dubiorum coram turno pro tribunali sedente, si alterutra vel utraque pars eam postulet, aut tribunal statuat ut eadem habeatur. In ea vero hae regulae serventur:

1° disputatio fiat die et hora a tribunali opportune assignanda tempore intermedio inter exhibitionem responsionis et assignatam iudicio diem;

2° partes regulariter non admittuntur ut per se ipsae causam suam dicant coram iudicibus; sed ad id deputare debent unum ex advocatis, quem sibi ad adsistendum, aut qua patronum vel procuratorem adsciverint. In potestate tamen tribunalis est eas rationabili de causa admittere, aut advocare et iubere ut intersint;

3° biduo ante disputationem partes exhibere debent Adiutori Ponentis quaestionis capita cum altera parte discutienda paucis verbis, una vel altera periodo, contenta. Eaque adiutor partibus hinc inde communicabit, una simul cum quaesitis a turni Auditoribus praeparatis, si quae ipsi habeant, super quibus partes rogare velint;

4° disputatio non assumet oratoriam formam; sed sub Ponentis ductu ac moderatione circumscripta erit limitibus illustrandorum dubiorum;

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

5° adsistet unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si aliqua pars postulet et tribunal consentiat, possit de disceptatis confessis aut conclusis, adnotationem ad tramitem iuris ex continenti assumere;

6° qui in disputatione iniurias proferat, aut reverentiam et obedientiam tribunali debitam non servet, ius ad ulterius loquendum amittit, et si agatur de procuratore vel advocato, puniri pro casus gravitate potest etiam suspensione aut privatione officii.

Can. 31.

§ 1. Assignata iudicio die Auditores in consilium ad secretam causae discussionem convenire debent.

§ 2. Unusquisque scripto afferet conclusiones suas seu votum cum brevibus probationibus tam in facto quam in iure. Attamen in discusssione fas semper est Auditoribus a conclusionibus suis recedere, si iustum et necessarium ducant. Conclusiones autem suas singuli Auditores in actis causae deponere tenentur ad rei memoriam: secretae tamen ibi servabuntur.

§ 3. Ea demum sit sententia in qua firmiter conveniant duo saltem ex auditoribus, aut pars absolute maior praesentium, si tribunal plus quam tribus Auditoribus constituatur.

§ 4. Si ad sententiam in prima discussione devenire iudices nolint aut nequeant, differre poterunt iudicium ad primum proximum eiusdem turni conventum, quem protrahi non licet ultra hebdomadam, nisi forte vacationes tribunalis intercedant.

Can. 32.

§ 1. Re conclusa in Auditorum consilio, Ponens super actorum fasciculo signabit partem dispositivam sententiae, idest responsiones ad dubia: quae a notario tribunalis partibus significari poterunt, nisi tribunal censuerit solutionem suam secreto servare usque ad formalis sententiae promulgationem.

§ 2. Haec intra decem dies, aut ad summum intra triginta in causis implicatioribus est peragenda; exaranda vero vel a

causae Ponente vel ab alio ex auditoribus, cui hoc munus in secreta causae discussione commissum sit.

§ 3. Eadem lingua latina est conscribenda; et rationes tam in facto quam in iure sub poena nullitatis continere debet.

§ 4. Subsignabitur a Praeside turni et ab aliis Auditoribus una cum aliquo ex notariis Sacrae Rotae.

Can. 33.

§ 1. Si sententia rotalis confirmatoria sit alterius sententiae sive rotalis sive alius tribunalis, habetur res iudicata, contra quam nullum datur remedium nisi per querelam nullitatis, vel per petitionem restitutionis in integrum coram supremo Apostolicae Signaturae tribunali.

§ 2. Si duplex sententia conformis non habeatur, a sententia rotali ab uno turno lata datur appellatio ad turnum proxime sequentem iuxta *can. 12*, intra tempus utile dierum decem ab intimatione sententiae, ad tramitem iuris communis.

Can. 34.

§ 1. Si, introducta causa, actor renunciare velit instantiae, aut liti, aut causae actibus, id ei semper licebit. Sed renunciatio debet esse absoluta nullique conditioni subiecta, subsignata cum loco et die a renunciante, vel ab eius procuratore speciali tamen mandato munito, ab altera parte acceptata aut saltem non oppugnata, et a iudice deinde admissa.

§ 2. Renuncians tamen tenetur hisce in casibus ad omnia consectaria, quae ex his renunciationibus profluunt ad tramitem iuris communis.

TITULUS II.

SIGNATURA APOSTOLICA.

CAP. I. — *De constitutione et competentia Signaturae Apostolicae.*

Can. 35.

§ 1. Supremum Apostolicae Signaturae tribunal constat sex S. R. E. Cardinalibus, a Summo Pontifice electis, quorum unus, ab eodem Pontifice designatus, Praefecti munere fungetur.

§ 2. Eique dabitur a Romano Pontifice adiutor, seu a Secretis, qui iuxta regulas eiusdem Signaturae proprias, sub ductu Cardinalis Praefecti, omnia praestabit quae ad propositae causae instructionem eiusque expeditionem necessaria sunt.

Can. 36.

§ 1. Praeter Secretarium erit etiam in Apostolica Signatura unus saltem notarius conficiendis actibus, conservando archivio, et adiuvando Secretario in iis quae ab eo ipsi committuntur: habebitur quoque custos conclavium eiusdem Signaturae: prior sacerdos alter laicus.

§ 2. Erunt etiam aliquot Consultores, a Summo Pontifice eligendi, quibus poterit examen alicuius quaestionis pro voto ferendo committi.

§ 3. Quae ad nominationem, iusiurandum, obligationem secreti ac disciplinam pertinent, et pro administris Sacrae Rotae constituta sunt, serventur quoque, cum proportione, pro Apostolicae Signaturae administris.

Can. 37.

Supremum Apostolicae Signaturae tribunal videt tamquam sibi propria ac praecipua:

1° de exceptione suspicionis contra aliquem Auditorem, ob quam ipse recusetur;

2° de violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus illatis, eo quod actum nullum vel iniustum in iudicando posuerint, iuxta *can. 9*;

3° de querela nullitatis contra sententiam rotalem;

4° de expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit.

Cap. II. — *De modo iudicandi Apostolicae Signaturae.*

Can. 38.

Ad postulandam restitutionem in integrum et ad introducendum iudicium nullitatis contra sententiam rotalem dantur tres menses utiles a reperto documento aut a cognita causa, ob quam ad haec remedia recursus fieri potest.

Can. 39.

§ 1. Expostulatio ad Signaturam pro restitutione in integrum non suspendit rei iudicatae exsecutionem.

§ 2. Nihilominus ad instantiam partis recurrentis Signatura potest, incidentali sententia, inhibitionem exsecutionis iubere, aut obligare partem victricem ad congruam cautionem praestandam pro restitutione in integrum.

Can. 40.

§ 1. Libellus, quo causa introducitur, exhibendus est Secretario Signaturae Apostolicae.

§ 2. Cardinalis autem Praefectus, una cum Secretario, accepta instantia, examinare debet, utrum fundamentum aliquod boni iuris habeat: quod si desit, instantiam ipsam quamprimum reiicere; sin vero habeatur, tenetur admittere.

Can. 41.

§ 1. In causa criminali, de qua sub *num. 2 canonis 37*, regulae processuales serventur, quae pro causis criminalibus a iure canonico statuuntur.

§ 2. In aliis iudiciis, de quibus in *num 1, 3* et *4, can. 37*, Signatura procedere potest sola rei veritate inspecta, citata tamen semper parte adversa, vel conventa, vel cuius intersit, et praefixo partibus congruo peremptorio termino ad iura sua deducenda.

§ 3. Et in primo ex memorati iudicii casibus Apostolica Signatura inappellabili sententia definit utrum, an non, sit locus recusationi Auditoris. Quo facto, iudicium ad Sacram Rotam remittit, ut iuxta suas regulas ordinarias procedat, admisso in suo turno, vel non, Auditore contra quem exceptio sublevata fuit, iuxta Signaturae sententiam.

In tertio casu de hoc tantum iudicat, sitne nulla rotalis sententia, et sitne locus eius circumscriptioni.

In quarto casu Apostolica Signatura, inappellabili sententia definit utrum, necne, locus sit restitutioni in integrum. Qua concessa, rem remittit ad Sacram Rotam, ut, videntibus omnibus, de merito iudicet.

Can. 42.

Cardinalis Praefectus, itemque Signaturae tribunal, si expedire reputent, convocare possunt Promotorem iustitiae et Defensorem vinculi penes Sacram Rotam, et ab eis votum exigere, vel etiam petere ut de actibus rotalibus, quae impugnantur rationes explicent.

Can. 43.

In reliquis, quae necessaria sunt ad iudicii expeditionem, et non sunt in praecedentibus canonibus cauta, servari in primis debent, congrua congruis referendo, regulae pro Sacra Rota statutae, et deinde normae iuris communis.

TITULUS III.

DE ADVOCATIS PENES SACRAM ROTAM ET APOSTOLICAM SIGNATURAM.

Can. 44.

§ 1. Advocati proprii ac nativi Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae sunt Advocati consistoriales.

§ 2. Admittuntur tamen et alii sive sacerdotes sive laici, qui laurea doctorali saltem in canonico iure instructi, post triennale tyrocinium vel qua adiutores penes aliquem ex Auditoribus, vel penes aliquem ex advocatis rotalibus, facto experimento coram Rotali Collegio, ab eodem idonei reperti sint, diploma advocatorum acceperint, a Sacrae Rotae Decano et ab uno ex notariis subsignatum, ac iusiurandum coram Rotali Collegio dederint de munere ex conscientia implendo.

Can. 45.

§ 1. Advocati in causis coram Sacra Rota et Signatura Apostolica agendis tenentur servare tum communes leges canonicas tum regulas horum tribunalium proprias; et in scripturis pro defensione exarandis lingua latina uti debent.

§ 2. Tenentur insuper de mandato Decani Sacrae Rotae aut Cardinalis Praefecti Signaturae Apostolicae gratuitum patrocinium aut gratuitam adsistentiam praebere iis, quibus Sacra Rota aut Signatura Apostolica hoc beneficium concesserit.

§ 3. Nefas eisdem est emere litem, aut de extraordinario emolumento vel immodica rei litigiosae parte sibi vindicanda pacisci. Quae si fecerint, praeter nullitatem pactionis, a Sacra Rota congrua poena multari possunt, iuxta sequentem canonem.

Can. 46.

Collegium advocatorum consistorialium fungetur munere collegii disciplinae pro continendis in officio advocatis: qui, ex voto eiusdem Collegii, a Sacra Rota reprehensionis nota inuri, poena pecuniaria multari, suspendi, vel etiam ex albo advocatorum expungi poterunt.

APPENDIX.

DE TAXATIONE EXPENSARUM IUDICIALIUM.

Cap. I.

De proventibus quae ad aerarium Sanctae Sedis spectant.

1. Acta quaelibet iudicialia in causis tum contentiosis tum criminalibus exarari debent in foliis sigillum Sedis Apostolicae referentibus, excepta prima instantia, et exceptis quoque foliis typis edendis, de quibus in *can. 25 et 26*. Folia quatuor paginis constant et paginae triginta lineis.

Pretium uniuscuiusque folii coram Sacra Rota adhibendi est, lib. 1; coram Signatura Apostolica, lib. 2.

2. In eodem folio cumulari nequeunt acta diversa, quamvis ad eamdem causam spectantia.

3. Quoties documenta in protocollo Sacrae Rotae exhibentur sive plura sint, sive pauciora, singulis vicibus pendenda est lib. 1.

4. Pro actu quo declaratur concordare exemplar alicuius documenti cum autographo, ad singula folia, lib. 0.50.

5. Pro peritiis, si requirantur, et pro examine testium, si habendum sit, a requirente peritiam vel probationem per testes deponenda est penes officialem rotalem, pecuniae custodem, summa ab Adiutore Praesidis tribunalis taxanda, quae ab eo censeatur sufficiens ad expensas peritiae vel examinis testium solvendas.

6. In taxanda hac summa Adiutor aestimare debet, iuxta civilem Urbis usum, quid requiratur ad retribuendam peritorum operam, si de ipsa agatur, vel ad indemnitatem testibus praestandam, tum ob itineris expensas, tum ob cessatum lucrum ex interruptione laboris, si de examine testium res sit. Praeterea tribunalis iura iuxta communes normas ei prae oculis habenda sunt.

7. Ad occurrendum expensis iudicialibus universe sumptis deponenda est in arca summaria Sacrae Rotae pro prudenti Ponentis arbitrio pecuniae summa a 100 ad 500 libellas.

8. Proventus universi huc usque recensiti ad aerarium Sanctae Sedis spectant, et ad illud singulis mensibus transmitti debent iuxta regulam pro aliis Sanctae Sedis officiis assignatam.

Cap. II. — *De proventibus qui cedunt in retributionem operis a singulis praestitae.*

1. Pro versione alicuius actus a lingua non in usu penes Romanam Curiam in aliam usu receptam, retributio pro singulis foliis, lib. 1.50.

2. Pro examinanda versione, et pro declaratione facienda a perito de eius fidelitate, ad singula folia, lib. 0.50.

3. Pro simplici transcriptione, ad singulas paginas, lib. 0.25.

4. Pro extrahendis ex archivio documentis vel fasciculo (*posizione*) alicuius causae, tabularius ministerium suum gratuito debet praestare, si agatur de re ultimis decem annis acta; si de antiquiori, ius habet ad lib. 5.

CAP. III. — *De advocatorum et procuratorum proventibus.*

1. Pro qualibet instantia exarata, lib. 5.

2. Pro concordatione dubiorum, ad singula dubia, lib. 5.

3. Pro interventu in examine testium in qualibet sessione, lib. 5.

4. Pro adsistentia examini, vel iuramento parti delato, lib. 5.

5. Pro congressibus cum cliente et cum aliis personis ad effectum causae, iuxta numerum et simul sumptis, a lib. 10 ad 100.

6. Pro accessibus ad tribunal, a lib. 5 ad 50.

7. Pro disputatione coram tribunali ad normam *can. 30*, a lib. 10 ad 25.

8. Pro examine omnium documentorum, a lib. 50 ad 100.

9. Pro eorum ordinatione et summarii compositione, a lib. 50 ad 100.

10. Pro exaranda defensione, a lib. 200 ad 1000.

11. Pro responsione, a lib. 100 ad 200.

12. Pro simplici adsistentia ad normam *can. 18*, a lib. 100 ad 200.

13. Harum omnium taxarum motio, seu *liquatio*, facienda est ad tramitem communis iuris a Praeside tribunalis.

CAP. VI.

De exemptione a iudicialibus expensis et gratuito patrocinio.

1. Pauperibus ius est exemptionis ab expensis iudicialibus, et gratuiti patrocinii, iuxta praescripta superius *can. 45*, § *2*.

2. Qui pauperes absolute dici non possunt, sed ob arctam suam conditionem ordinariis expensis ferendis pares non sunt, ad earum reductionem ius habent.

3. Qui exemptionem ab expensis vel earum reductionem assequi velit, eam postulare debet, dato supplici libello Praesidi turni vel Auditorum coetus, qui causam iudicandam habet, ad-

ductisque documentis quibus conditionem suam comprobet. Praeterea, nisi agatur de iudicio a SS.mo commisso, demonstrare debet se non futilem neque temerariam causam agere.

4. Praeses turni postulationem ne admittat, nisi auditis, praeter partem postulantem, parte adversa, promotore iustitiae ac decano advocatorum consistorialium, requisitisque, si opus sit, notitiis etiam secretis super statu oeconomico postulantis.

5. Contra decretum Praesidis negantis exemptionem ab expensis vel earum reductionem, potest, intra utile tempus decem dierum, expostulatio fieri pro recognitione iudicii ad turnum, vel Auditorum coetum, cui causa iudicanda est.

6. Qui exemptionem ab expensis et gratuitum patrocinium concedit, simul debet unum ex advocatis designare, qui pauperis patrocinium vel adsistentiam suscipiat ad normam *can. 45*, § *2*.

7. Si vero decreta tantum fuerit expensarum reductio, qui huiusmodi decretum tulit, debet simul normas saltem generales statuere intra quas reductio sit circumscribenda.

Cap. V.

De expensis in iudiciis coram Signatura Apostolica.

Eadem Regula, congrua congruis referendo, servetur ac pro iudiciis coram S. Rota.

Datum Romae, die XXIX Iunii MDCCCCVIII.

De mandato speciali SSmi D. N. Pii Papae X.

R. Card. Merry del Val.

Ordo servandus in Sacris Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae

PARS PRIMA.

NORMAE COMMUNES.

Cap. I. — De ordine ac directione generatim.

1. In omnibus superius memoratis S. Sedis Officiis (*dicasteri*) duplex erit Administrorum coetus, Maiorum et Minorum.

2. In singulis moderatio proxima *Secretariae*, Protocolli, Tabularii, ad Praelatum pertinet qui alter est a Cardinali Praeside. A Praelato tamen erunt ad Cardinalem deferendae maioris momenti res, quibus peculiari aliquo modo sit consulendum.

In S. Rotae tribunali secretaria, protocollum, tabularium obnoxia sunt Auditori Decano, eoque impedito, Auditori qui primam sedem post decanum obtinet: hi tamen, ubi agatur de extraordinario aliquo consilio capiendo, rem deferent ad Collegium Auditorum universum.

3. Excepta S. Rota, cui propriis erit agendum normis, in ceteris Officiis omnibus, administri maiores, praeside Cardinali suo, Congressum constituunt.

4. Ad Congressum spectat minora negotia expendere atque expedire; de ceteris disponere et ordinare ut agantur in pleno sui cuiusque officii conventu.

5. Singula Officia sibi librum habebunt *rerum notabilium*, in quo rite indicentur nominationes, initique muneris dies Patrum Cardinalium, Consultorum, maioris et minoris ordinis Administrorum; datum iusiurandum, cessatio ab officio, et si qua forte pontificia rescripta immutationem aliquam circa cuiusque Officii competentias induxerint.

Cap. II. — De provisione officiorum.

1. Maiores Administri cuiusque Sacrae Congregationis, Tribunalis, Officii, a Summo Pontifice libere eligentur.

2. Minoribus eligendis administris titulorum doctrinaeque certamen proponetur.

Gratiosae suffragationes non admittuntur, earumque, si intercedant, ratio habebitur nulla.

3. Certamen indicetur intra mensem a vacuo officio, acceptis ante mandatis a Summo Pontifice. Assignabitur vero spatium utile unius mensis ad exhibendam petitionem ac titulos necessarios.

4. Periculum de doctrina erit scripto faciendum certo die, quo propositae ex tempore quaestiones evolventur circa disciplinas ad petitum officium pertinentes. De proposita materia candidati in communi aula conscribent, designatis horis, advigilante Consultore aut aliquo ex minoribus eiusdem Officii administris, quem Praelatus moderator adlegerit.

5. Scripta, numeris distincta, non expresso candidati nomine, duo Consultores ordine excutient, a Congressu eligendi, et, si agatur de S. Rota, a Decano. Horum nomina Censorum occulta manebunt; iidemque quamprimum suum expriment scripto iudicium super exarata a candidatis, declarantes, quaenam ex iis, sive doctrinae laude, sive dicendi forma probentur; quaenam idonea tantum, quaenam improbanda censeantur.

6. Si Consultorum iudicia de idoneitate scripti secum pugnent, candidatus non idoneus habebitur deficientis causa doctrinae. Verum facultas erit Congressui, et apud S. Rotam Decano, in ea iudiciorum discrepantia, exquirendi, si necessarium aut aequum duxerint, Consultoris tertii suffragium, ad quem proinde remittentur priorum duorum iudicia, ut ipse proferat de summa lite sententiam.

7. Ut quis possit ad eligendorum scrutinium admitti, requiritur tamquam necessaria conditio ut probatus discesserit experimento doctrinae.

8. Scrutinium fiet a Congressu, et apud S. Rotam a Collegio Auditorum. Idem erit duplex, et in utroque suffragia erunt secreta.

In primo, suffragia ferentur de singulis candidatis, ut decernatur, quinam aetate, moribus, indole censeantur idonei. Qui paria suffragia retulerint iudicandi sunt non idonei.

In altero suffragia ferentur de singulis in primo scrutinio approbatis, ut decernatur quinam virtute, meritis, scientia, habilitate sit praeferendus. Paribus inter duos pluresve candidatos suffragiis, Cardinalis, qui Congressui praeerit, et apud S. Rotam Decanus, paritatem diriment.

9. De scrutinii exitu ad Summum Pontificem integre referetur, ut, Eo probante, ad candidati nominationem deveniri possit.

10. Rationes et modi, quibus lata sint suffragia, sunt prorsus reticendi.

11. Litteras nominationis ad maiores Administros mittet Cardinalis a Secretis Status; ad minores mittent, in S. Rota Decanus, subscripto nomine alicuius Notarii; in ceteris Officiis suus cuiusque praeses Cardinalis, contra posita subscriptione more rescriptorum.

12. Deservientium nominatio, apud S. Rotam spectat ad Collegium Auditorum; apud Officia reliqua ad suum cuiusque Praesidem Cardinalem, proponentibus maioribus Administris.

13. In uno eodemque viro cumulare munia non licet; ideoque qui ad novum adspiret munus, ad id semel assumptus, pristino cessit.

14. Ad unum idemque Officium prohibetur aditus duobus consanguineis in primo et secundo gradu, et affinibus in primo.

15. Minoribus administris, ubi inter ipsos vacaverit locus, ius est adscensus titulo ministerii provectioris; non ita ceteris.

Cap. III. — De iureiurando.

Cuiusvis ordinis Administri, ante quam adsciscantur, iusiurandum dabunt, coram suo Praelato, *de officio fideliter im-*

plendo, de non recipiendis muneribus etiam sponte oblatis, et de secreto servando, secundum formulam heic adiectam, servata lege iis Officiis quibus peculiare et gravius iusiurandum imponitur, ut communi formae particularem addant.

IURISIURANDI FORMA.

" In nomine Domini.

" Ego N. N. spondeo, voveo ac iuro, fidelem et obedientem " me semper futurum B. Petro et Domino Nostro Papae eiusque " legitimis Successoribus; ministeria mihi commissa in hac S. Con- " gregatione (*Tribunali, aut Officio*) sedulo ac diligenter impletu- " rum; munera mihi in remunerationem, etiam sub specie doni " oblata, non recepturum: et secretum officii religiose servaturum " in iis omnibus, quae sacri Canones aut Superiores secreta ser- " vari iusserint, itemque, quoties ab Ordinariis id postulatum fuerit, " et quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus " aut Ecclesiae obvenire potest. Sic me Deus adiuvet, et haec " Sancta Dei Evangelia, quae meis manibus tango „.

Cap. IV. — De horis ac disciplina officiorum.

1. Spatium temporis officio assignatum est matutinum, ab hora nona cum dimidio usque ad meridiem cum semihora, singulis diebus non feriatis. Per has horas administri omnes tenentur in officio esse, non remorari, nec ab ipso ante constitutum tempus discedere, incolumi eorum privilegio, quibus officii sui lex concesserit ut commissum opus possint exsequi domi.

2. Est tamen Moderatoribus facultas concedendi singulis Administris diem unum vel duos vacationis in mense, modo talis concessio cum Officii necessitatibus componi queat. Eadem conditione quotannis aut unoquoque biennio dies aliquot, non ultra hebdomadam, singulis concedere debebunt, ut piis exercitationibus vacent.

3. Morbo aut alia causa impediti quominus Officium adeant, rem Praelato significent.

4. Exceptis maioribus Administris, itemque scriba Protocolli, Diribitore atque aliis, qui sui muneris gratia debent se adeuntes excipere, ceteris non licet per horas officii visitantem quemquam admittere.

5. In sua quisque munia religiose et quam optime explenda incumbet; nec fas erit cuiquam alienam occupare provinciam, aut in sui locum substituere quempiam, aut ipse alium sufficere.

6. Verum, si Praelatus id committat, quilibet Administer se promptum exhibebit ad subrogandos collegas, atque ad alia non communia pensa quae forte sint expedienda.

7. Erit curae omnibus, maxime iis qui praesunt, ne diu negotia iaceant. Danda igitur opera ut necessaria studia, ut actorum perscriptio, ut expeditio negotiorum ea sollicitudine procedant, quae naturae rerum tractandarum et normis Officii respondeant.

8. Quoties igitur designatae horae muneri explendo satis non sint, administri reliquum operis aut domi conficient, aut morabuntur in officio diutius, aut revertentur post meridiem, prout visum fuerit moderatori opportunius.

9. Quod si productus hic labor fere quotidianus evadat, moderatorum erit eum ex aequo remunerari.

10. Iidem Administrorum nomina, qui doctrina, diligentia, rerum agendarum peritia, vitaeque honestate praecellant, Summo Pontifici significanda curabunt.

11. Administro nemini licet *Agentis*, Procuratoris, Advocati partes assumere, neque in suo, neque in alieno Officio.

Unum eximitur procuratoris vel advocati munus in Sanctorum causis, quo munere fungi poterunt Administri minores ad SS. Rituum Congregationem non pertinentes.

12. Si quis Administer negligentia culpave suo officio defuerit, erit admonendus, aut aliqua poena multandus, aut loco movendus ad tempus, aut etiam omnino dimittendus, pro admissi gravitate aut recidendi frequentia.

13. Si autem a sacerdotis aut christiani viri aut civis officiis ita declinaverit, ut in ius rapi debuerit, aut publicae existimationis iacturam fecerit, suo loco movebitur ad tempus, aut omnino dimittetur.

14. Aere alieno ita gravari ut aditus fiat sequestris iudicialibus, esse causa potest quamobrem quis ad certum tempus exuatur munere, aut etiam abdicare cogatur.

15. Publica inquisitione instituta de crimine adversus aliquem administrum, qui Officio praeest, officii ipsius honori tutando, simulque non gravando reo, providebit. Ad eum finem curare poterit ut accusatus ab officio recedat, et partem stipendii retinere in remunerationem suffecti in eius locum.

16. Remotio ad tempus, expulsio aut officii amissio, multae poenaeque ceterae contra administrum decernentur, nullo provocationis iure relicto, apud S. Rotam a Collegio Auditorum; in aliis vero Officiis a Cardinali Praeside, suffragante Congressu; et in utroque casu audita parte per scriptum.

De temporaria remotione aut dimissione referendum est ad SSmum Dominum, ut has poenas ratas habeat.

Cap. V. — De feriis.

1. Singulis diebus festis cum praecepto Officia vacabunt.

His adduntur:

anniversarius dies creationis et coronationis Summi Pontificis;

item obitus Decessoris;

stati dies Consistoriis habendis sive publicis sive semipublicis;

feria secunda et tertia Quinquagesimae, et quarta Cinerum;

postremi dies quatuor maioris hebdomadae, et Feria secunda et tertia Paschatis;

pervigilium Pentecostes et succedentes huic Festo dies, Feria secunda ac tertia;

pervigilium Deiparae in caelum receptae;

secundus dies mensis Novembris, in commemoratione Fidelium defunctorum;

pervigilium Nativitatis Domini et consequentes tres dies;

ultimus anni dies.

2. Feriatis diebus, Moderatores Officii curare poterunt ut aliquis ex administris Officium frequentet, expediturus negotia si quae forte occurrerint. Huic autem administro licebit vacationis dies alios petere.

3. A die decimo mensis Septembris ad trigesimum primum Octobris decurrent Feriae autumnales.

Hoc spatio temporis Officium nullum erit intermissum; sed in unoquoque tot aderunt tum maioris tum minoris ordinis administri, quot satis esse existimentur urgentioribus expediendis negotiis ordinariae administrationis; maiorum enim tractationes, ac de gravioribus et implicatioribus rebus deliberationes in mensem Novembrem differentur. Quod si urgens rei gravitas postulet ut cito occurratur, intra merae necessitatis fines providebitur.

4. Qui feriarum tempore in officio versari debebunt, iis conceduntur vacationis dies quinque et quadraginta, sive intermissi, sive continui pro lubitu petentium, alio anni tempore ab iisdem eligendo, habita tamen ratione necessitatum Officii, atque approbante Moderatore.

Cap. VI. — De stipendiis.

1. De medio sublatis emolumentis quae *incerta* vocari solent, administri omnes certo stipendio, eoque menstruo et ad honestam substentationem sufficienti, fruentur ex aerario Sanctae Sedis. Stipendii ratio pro variis administris proponetur in apposita tabula; incipietque vim habere pro iis qui in officia adsciscentur post praesentem ordinationem, ac pro veteribus administris qui ad officia diversi gradus et conditionis advocentur.

2. Emolumentorum, seu *incertorum,* genus unicum derivari poterit minoribus administris ex opere in extrahendis ab archivio

documentis impenso, ac transcriptione documentorum et processuum, si non ex officio fiant, sed instantibus partibus quarum intersit; dummodo tamen his rebus non detur opera horis officio destinatis, et praescripta serventur Appendicis *Legis propriae* S. Rotae cap. 2 de exigenda compensatione.

3. Qui in praesens cuiusvis gradus ac naturae officio funguntur, sua stipendia retinebunt tum ordinaria tum extraordinaria, quae tamen stabilitatis rationem habeant (*incerta certa*), et ad officium ipsum referantur; non quae speciem remunerationis praeseferant ob collocatam peculiarem operam aut extraordinarios ob titulos.

Eadem stipendia non aliunde solventur in posterum nisi ab aerario Sancta Sedis.

4. Ut autem recti iustique servetur lex, intra mensem ab edita praesenti ordinatione, singuli qui variis Officiis praesunt ad Cardinalem *Secretarium Status* administratorum omnium deferent nomina, adiecto suo cuiusque stipendio, ad norma superiori numero descriptam.

Iidem Praesules, intra memoratum tempus, recensebunt onera sive perpetua sive temporaria, quibus Officia sua gravantur, et impensas Officii ordinarias.

5. Gradus et stipendia ad normam *num.3* sarta tectaque manebunt Administris eorum etiam Officiorum, quae ob novam Romanae Curiae ordinationem aut prorsus desierint, aut sint natura penitus immutata.

Huiusmodi autem administri a Sanctae Sedis nutu pendebunt, et, ubi eorum postuletur opera, ad eam praestandam debebunt sese promptos ac paratos exhibere.

6. Salvis iuribus a praesentibus administris acquisitis in quibusdam Officiis ad emeritum percipiendum, ceteris omnibus in posterum, qui sive aetatis ingravescentis, sive diutini morbi causa, sustinendis rite muneribus impares fiant, Apostolica Sedes, quantum poterit, ex aequo providebit, curando ut sufficiantur ab aliis, et cavendo ne ipsis necessaria desint ad honestam sustentationem.

Cap. VII. — De advocatis.

1. Firmo illorum iure qui modo legitimi habentur advocati, in posterum, ad ineundum hoc munus servandae erunt normae *tit. III legis propriae* Sacrae Rotae constitutae.

2. Exinde leges disciplinae vigebunt in memorato titulo contentae, quibus aeque omnes erunt obnoxii.

3. Qui vero cupiat advocati munus exercere apud S. Rituum Congregationem in Sanctorum causis, is legitimum sibi titulum comparet Advocati rotalis, ceterisque satisfaciat consuetudinis formis, quae ab eo Sacro Consilio praescripta sunt.

Cap. VIII. — De ministris expeditionum.

1. Privilegium *exclusivae*, quo Apostolici Ministri expeditionum in Datariae Officio fruuntur, ubi primum habere vim coeperit Constitutio *Sapienti consilio*, cessabit.

2. Est autem Sanctae Sedis propositum de ministrorum expeditionum, qui modo sunt, conditione ac statu cognoscere, ut in peculiaribus casibus ea possit inire consilia, que magis aequa et opportuna iudicaverit.

Cap. IX. — De procuratoribus seu agentibus.

Sectio I. — *De procuratoribus particularibus et privatis.*

1. Qui ad Sanctam Sedem recurrens sui particularis ac privati negotii causa uti opera velit procuratoris, potest ad id munus deputare quemlibet suae fiduciae virum, dummodo catholicum, integra fama, et ad officium, in quo agenda sit res, minime pertinentem. Praeterea oportet eumdem legitimo mandato munire, quod in Actis, ad ipsius Officii cautionem, servabitur; aut sin minus apud Moderatores eiusdem in tuto ponere delecti viri honestatem et requisitas conditiones.

2. Si exhibitum virum Moderatores iudicaverint admitti non posse, certiorem facient mandantem, ut aliter consulat.

SECTIO II. — *De procuratoribus publicis ac legitimis.*

3. Ad procuratoris munus legitime et constanter obeundum pro Episcopo eiusque dioecesi, oportet inscriptum habere nomen in Procuratorum albo, quod patebit in Officio a Secretis Sacrae Congregationis Consistorialis.

4. Salvis iuribus acquisitis ab exercentibus hodie munus *Agentium* seu ministrorum expeditionis, qui, ubi postulaverint, in memoratum album referentur, posthac quicumque volet inscribi debebit petitionem, cum titulis quibus illa nititur, exhibere Adsessori S. C. Consistorialis.

5. Ad iustam admissionem requiritur ut orator catholicam fidem profiteatur, sit integra fama, calleatque satis latinum sermonem et ius canonicum. Si agatur de sacri ordinis viro, oportet ab Officio Urbis Vicarii adsensum impetret Romae residendi; religiosus autem sodalis id a Praeposito generali impetrabit.

6. Iudicium de petitione, utrum ea admitti possit necne, edetur a Cardinali a Secretis S. C. Consistorialis, audito Congressu qui, ut magis explorata sit candidati doctrina, poterit ipsum experimento subiicere, prout melius iudicaverit.

7. Nihil obstat quominus Ordinarius procuratorem eligat virum nondum in album relatum; qui tamen, ante quam exerceat mandatum, inscriptionem postulabit.

Hoc autem in casu Ordinariorum prudentiae relinquitur ante videre, num cui forte obstaculo propositus procurator esse possit obnoxius, ne sese repulsae periculo obiiciant.

8. Praeter inscriptionem in album, ut quis publicus habeatur et stabilis procurator dioecesanus, necessario requirutur iustum Ordinarii mandatum ab adlecto exhibendum, cuius mandati authenticum exemplar apud Officium a Secretis Consistorialis Congregationis deponetur.

9. Munerum a procuratore dioecesano explendorum haec summa est: curare ut epistolarum commercium inter Apostolicam Sedem et Episcopum, de omnibus dioecesis negotiis, rite et cum fide procedat; ea referre, de quibus Officio alicui praepositi, in rebus ad ipsum pertinentibus, eum sint percontati; in

cognitione versari negotiorum, quae apud varia Sanctae Sedis Officia evolvuntur spectantque dioecesim, cuius habet ipse procurationem.

10. Quae scripta data sint obsignata, inviolata transmittenda sunt; neve procurator unquam ullâve de causa sibi fas esse ducat ea resignare. Qua in re cuiusvis generis culpa censebitur gravis.

11. Circa res omnes dioecesis, quarum, ratione sui muneris notitiam acceperit, nisi agatur de re publica et notoria, procurator secreto officii tenetur. Huius legis violatio culpae gravis instar habebitur.

12. Procuratoribus interdicitur ne litteras passim dimittant ad clientum aucupium, exhibentes faciliores conditiones aut similia.

13. Nemini procuratori licet pro sua opera maiorem pecuniae summam exigere quam quae pro rescriptis, brevibus, bullis officiorum Sanctae Sedis constituta sit atque descripta: quam qui fregerit legem, restitutionis obligatione tenebitur, etiam poenis aliis non irrogatis.

14. Qui christiano plane more non agat, quae conditio ad exercendum procuratoris munus est omnino necessaria, aut in memoratis officii sui partibus grave aliquid admittat, potest ad tempus removeri, aut etiam perpetuo dimitti.

15. Advocatorum Consistorialium Collegium erit *agentibus* seu procuratoribus omnibus instar Consilii disciplinae. Ex eius Collegii sententia, Cardinalis a Secretis S. C. Consistorialis (si agatur de prave acta vita sociali vel de alia publice nota culpa); aut praepositi Officio, cuius intersit (si de culpa officium spectante), poterunt ad admonitionem rei, aut ad eius remotionem sive temporariam sive perpetuam procedere.

16. Procurator, sive remotus ad tempus sive perpetuo dimissus ab uno officio, hoc ipso remotus censetur, aut omnino exclusus ab omnibus. Quare praepositi Officio, a quo eiusmodi sit prolata sententia, ceteris Officiis rem significandam curabunt.

Cap. X. — De ratione adeundi sanctae sedis officia cum iisque agendi generatim.

Sectio I. — *Pro privatis.*

1. Christi fideli cuique patet aditus ad Sanctae Sedis Officia, servata rite forma quae decet, et facultas est cum iisdem agendi per se de suis negotiis.

2. Advocati operâ uti volenti, in quaestionibus quae illum admittant, fas non erit patronum proponere quemlibet; sed optio ei dabitur inter approbatos, de quibus *cap. VII.*

3. Si vero Procuratoris desideret operam, eius eligendi arbitrium ipsi relinquitur, servatis tamen normis *cap. IX; sect. I* constitutis.

Sectio II. — *Pro Ordinariis.*

4. Ordinarius unusquisque potest ipse per se in variis Apostolicae Sedis Officiis negotia libere tractare, non solum quae se ipsum spectent, sed etiam quae dioecesim ac sibi subditos fideles ad ipsum confugientes.

5. Quoties Ordinarius velit ipse per se de negotio aliquo agere, sive praesens in Curia, sive per litteras a sua sede mittendas, Officium praemonebit quocum ei erit agendum. Tunc vero in Positione adnotabitur: *personalis pro Ordinario;* resque nullis interpositis procuratoribus agetur.

6. Ordinarius, qui petit directo agere cum Officio aliquo, sibi assumit solvendas impensas, non modo pro acceptis redditisque litteris et scriptis, aut pro aliis rebus necessariis, sed etiam pro taxationibus praescriptis in singulis actis.

7. Si advocato fuerit opus, etiam Ordinariis cohibetur optio, ita ut nequeant ipsum deligere nisi ex approbatis.

8. Si procuratore uti velint, normis inhaerebunt *cap. IX, sect. II* declaratis.

9. Mandatum, quo ab Ordinario procurator eligitur, potest usque rescindi ad formam iuris communis; in eamque rescissio-

nem, utpote rem ad fiduciam pertinentem, nulla datur inquirendi aut expostulandi facultas.

10. Vicario Capitulari non licet, electum ab Episcopo procuratorem cum alio mutare; at poterit cum Sanctae Sedis Officiis directo agere, ad normam *art. 4°*, *5°*, *et 6°* huius sectionis.

Cap. XI. — De taxationibus et procurationibus.

1. In omni rescripto, indulto, dispensatione, a suo Officio indicabitur, non modo taxatio Sanctae Sedi solvenda et remuneratio Agenti debita, sed etiam pecuniae summa cuius repetendae ius habet dioecesana Curia pro exsecutione rescriptorum, si haec necessaria sit; quae quidem summa pontificia taxatione erit inferior.

2. Taxatio pauperibus, sive cives privati sint, sive Instituti piaeve causae, si petita gratia moraliter necessaria sit, non lucrosa oratori, ita ut hic nullum possit ex ea quaestum facere, ex dimidia parte minuetur, aut etiam, si visum fuerit, omnino condonabitur, integris tamen oratori manentibus impensis pro tabellariis, pro exscriptione, aliisque id genus necessariis.

His in casibus, etiam Agentis procuratio ad partem dimidiam redigetur aut omnino condonabitur, salvis impensis pro tabellariis.

3. Ordinarii, secreto percontati parochos, quae vera sit oratorum conditio, significabunt in singulis casibus, agaturne de paupere, aut quasi paupere, ideoque competatne ipsis ius ad plenam aut dimidiatam condonationem taxationis, onerata utriusque partis conscientia super expositorum veritate; contra quam si actum fuerit, firma restat obligatio sarciendi quidquid iniuria sublatum sit.

Si qui autem iniqua voluntate renuant satisfacere taxationem ad aliquam consequendam dispensationem praescriptam, cuius tamen concessio sit moraliter necessaria ad offendicula et peccata vitanda, hoc erit ab Ordinariis indicandum in suis litteris. lidem, impetratae gratiae notitiam communicantes cum iis quo-

rum interest, eos commonebunt (si opportune id fieri prudenterque licebit ab ipsis) ex iustitia aliquid Sanctae Sedi deberi.

Utcumque tamen gratiae valididati nihil umquam officiet error aut fraus circa oeconomicam petentis conditionem.

4. In omnibus Officiis, subsignatis rescriptis, destinatus administer, peculiari super ipsis impresso sigillo, taxationem notabit Sanctae Sedi debitam, impensas procurationis et pecuniae summam pro exsecutione: quae omnia in menstruo libello recensebit, ad rationum computationem suique cautionem adservando.

In variis taxationibus designandis administer prae oculis habebit superius expositas normas, *positionem,* seu fasciculum actorum expendens, in dubiis vero rem ad Officii Moderatores deferet.

5. Singula Officia alterum habebunt a priore distinctum administrum diribendis litteris, rescriptis, et exigendae pecuniae taxationum ad Sanctam Sedem pertinentium.

6. In rebus secreto tegendis rescripta obserata tradentur: taxatio vero in alio notabitur folio eumdem numerum referente qui in obserato rescripto. Eadem taxationis notatio in interiore rescripti pagina iterabitur, ad securitatem recipientis.

7. Extremo quoque mense, Praelatus Officii moderator libellum inspiciet, de quo num. 4, acceptique rationem expendet; deinde utrumque ad Sanctae Sedis arcam nummariam deferet, suae auctoritatis testimonio munitum.

DISPOSITIONES TEMPORARIAE.

8. Officiorum administrationem totam illico retexere quum minime detur, Sancta Sedes sibi reservat peculiares normas constituere servandas in posterum.

9. Interim nulla fiet immutatio taxationum quae legitime in usu sunt pro expeditione *Bullarum* et *Brevium* Apostolicorum.

10. Pariter in usu esse non desinunt eae taxationes, quae in causis Beatificationis aut Canonizationis descriptae habentur in lege SS. Rituum Congregationis: *de taxis et impensis pro causis Servorum Dei.*

11. Sua etiam disciplina est moderandarum taxationum, mercedium, impensarum apud S. Rotam et Signaturam Apostolicam in causis quae ad ea tribunalia deferantur.

12. Pro dispensationibus matrimonii vigere quoque pergent in praesens taxationes pendi solitae penes Datariam Apostolicam et S. Poenitentiariam. In causis vero matrimonialibus dispensationis *super rato,* et in aliis quae a S. Congregatione *de Sacramentis* iudicantur, standum normis a S. Congregatione Concilii huc usque servatis.

13. Pro ceteris gratiarum, indultorum, dispensationum rescriptis, in Officiis omnibus, taxatio Sanctae Sedi solvenda erit libellarum decem, si de maioribus rescriptis agatur; si de minoribus, quinque.

Remuneratio *Agenti* debita erit libellarum sex pro rescriptis maioribus: pro minoribus, trium.

Si rescriptum unum plures gratias contineat, augebitur proportione taxatio; non ita tamen Agentis procuratio.

14. In omnibus autem et singulis casibus superius, num. 9, 10, 11, 12 et 13, recensitis, incolumes semper sint dispositiones capitis VI praecedentis, *de stipendiis,* et dispositiones num. 4, 5, 6 et 7 huius capitis, de solutione pecuniae singulis mensibus arcae nummariae S. Sedis facienda.

15. Usus S. Congregationis de Propaganda Fide exemptionis e qualibet taxatione in suae iurisdictionis locis incolumis servetur.

Datum Romae, die 29 Iunii 1908.

De mandato speciali SSmi D. N. Pii Papae X.

R. Card. Merry del Val.

PARS ALTERA

NORMAE PECULIARES

Cap. I. — De ambitu competentiae singulorum officiorum sanctae sedis.

1. Secundum praescripta Constitutionis *Sapienti consilio*, Officiorum Sanctae Sedis competentia partim territorium, partim vero materiam afficit.

a) Congregationi Sancti Officii, in suae competentiae rebus, territorii limites nulli sunt.

b) Consistorialis munia sunt circumscripta regionibus iuri communi obnoxiis, in quibus ipsa suam et cum aliis non communem habet competentiam circa ea omnia, quae ad regimen dioecesanum, ad Seminaria, ad Episcoporum aliorumque Ordinariorum electionem, ad Apostolicas visitationes, ad relationes de statu dioecesum referantur.

c) Congregationi de disciplina Sacramentorum in iis, quae matrimonium spectant, competunt quoque loca Congregationi de Propaganda Fide obnoxia, ad memoratae Constitutionis normam. Circa cetera Sacramenta competentiam habet circumscriptam regionibus iuri communi subiectis.

d) Concilii et Studiorum Congregationibus, in ipsarum competentiae negotiis, certi locorum assignati sunt limites, quemadmodum Consistoriali.

e) Congregatio Religiosorum sodalium praecipuam et propriam habet competentiam in religiosos ubicumque versantur, atque in rebus omnibus, quae statum, disciplinam, studia et sacram ipsorum Ordinationem spectant, salvo iure Congregationis de Propaganda in religiosos qua missionarios.

f) Propagandae Fidei Congregatio iurisdictionem locis et rebus circumscriptam habet, iuxta memoratae Constitutionis praescriptum.

g) Congregationibus Indicis, Rituum, pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Caeremoniali, itemque Tribunalibus tum interni tum externi fori, pro suae competentiae negotiis, nulli sunt constituti territorii limites.

2. Etsi, abrogata iurium cumulatione in Sanctae Sedis Officiis, sua cuique negotio sit constituta sedes; nihilominus, quia in peculiaribus casibus dubitationi aut errori locus esse potest, firma manet antiqua lex, qua, delato et excepto ab aliquo Officio supplici libello pro impetranda re sive ad gratiam pertinente sive ad iustitiam, nemini ulla de causa licet aliud suo marte Officium ad eumdem finem adire; sed opus est adsensu Officii ipsius quocum agi coeptum est, aut Congregationis Consistorialis decreto, quo venia detur transmittendi negotii.

Quaevis concessio ab Officio alio profecta, contra memoratam legem, irrita esto.

3. In expostulationibus ad Sanctam Sedem, si libellus ad S. Rotam delatus est, Decanus cum duobus Auditoribus primis; si ad aliquam Congregationem, ordinarius eiusdem Congressus, de quaestionis natura videbunt, utrum res administrationis ac disciplinae tramite tractanda sit, an summo iure agendum.

Horum primum si accidat, iudicium quaestionis reservatur sacrae Congregationi cui competit, ad normam Const. *Sapienti consilio.*

Alterum si fiat, quaestio ad proprios iudices ac sua tribunalia deferatur ad normam iuris communis definienda, salvo semper proprio Signaturae Apostolicae procedendi modo.

Cap. II. — De iis quae plenae congregationi reservantur et congressui tribuuntur.

1. In sacris omnibus Congregationibus communiter iudicio Patrum Cardinalium, quibus ipsae constant, (vel, uti vulgo dicitur, plenae Congregationi) est reservata solutio dubiorum omnium aut quaestionum de iure interpretando; examen controversiarum ordinis administrationem ac disciplinam spectantis, vel per se vel ob adiuncta graviorum; disceptatio de gratiis ac fa-

cultatibus maioris momenti, iisdemque vel per se vel ratione modi insuetis: acta denique omnia publici ordinis atque communis, sive praeceptiones ea sint sive praescriptiones.

2. Ad Congressum pertinet ea praeparare quae ad plenam Congregationem erunt deferenda; deliberata exsequi post approbationem Summi Pontificis; eadem casibus aptare similibus, ubi res perspicua sit, obvia, nullique obiecta controversiae; largiri pro potestate a Pontifice Maximo facta, facultates, gratias, indulta, quae consueta sint et facilia; providere ut quae in Officio geruntur, omnia rite procedant secundum normas tum communes tum peculiares huius legis, et Constit. *Sapienti consilio.*

Cap. III. — De modo tractandi negotia non stricte iudicialia.

Art. I. — *Quando agitur de rebus gratiae.*

1. Si gratiae, seu facultates, dispensationes, indulta, quae quis a Sancta Sede postulet, ius aliis quaesitum laedant; ii, quorum interest, aut directo aut per Ordinarios suos ante concessionem audiendi sunt.

2. Gratiae, quas quis pro se a Sancta Sede oretenus assequitur, ipsi petenti in foro conscientiae suffragantur. Nemo tamen potest cuiuscumque privilegii usum adversus quemquam vindicare, nisi privilegium ipsum legitime probet.

3. Gratiae, quae a Sancta Sede scripto conceduntur, communiter ab ipsa directo promanant per personas et Officia iure recognita. Quandoque vero supplex oratoris libellus ad Ordinarium, vel ad alium eius loco ecclesiasticum virum, per personas et Officia memorata remittitur, cum facultatibus petitam gratiam largiendi, sive totam sive certis limitibus circumscriptam.

Quum preces ad Ordinarium cum facultatibus remittuntur, eius aequo iudicio rectaeque conscientiae imploratae gratiae largitio permittitur, habita ratione formae rescripti, rerum Sanctae Sedi expositarum, et opportunitatis gratiae concedendae.

Ubi vero ab ipsa Sancta Sede, interposito nemine, gratia impertiatur, exarari rescripta possunt, aut forma gratiosa aut commissoria.

4. Si forma gratiosa, exsecutorem suapte natura non postulant. Exhibenda tamen Ordinario sunt, qui ea suo *recognitionis* rescripto roboret, si de rebus agatur publicis, cuius generis indulgentiae sunt communiter impertitae, sacrae reliquiae publicae venerationi proponendae, aliaque huiusmodi; aut si comprobare conditiones quasdam oporteat, uti loci decorem in sacellis privatis, aliaque id genus.

Si vero commissoria forma rescripta expressa sint, opus habent exsecutore. Nec licet Ordinario exsecutionem detrectare, nisi forte horum alterutrum occurrat, ut aut manifesto vitiosae, hoc est obreptitiae vel subreptitiae sint preces, aut qui gratiam impetravit adeo videatur indignus, ut aliorum offensioni futura sit indulti concessio. Haec si accidant, Praelatus, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciet Apostolicam Sedem.

5. Pro recognitionis testimonio, quo rescripta muniuntur, ut est in superiore *num. 4*, nulla est repetenda compensatio. Necessariae tamen impensae sarciri possunt, quales ex. gr. occurrunt ad loci cognitionem in sacelli usum adhibendi, aut ad fidei comprobationem circa aliquam sacram reliquiam.

6. Servatis, tum quae superiore *num. 4* statuta sunt circa rescriptorum exsecutionem, tum necessariis conditionibus ad sacras indulgentias lucrandas; a die III mensis Novembris MDCCCCVIII, quo die incipient vim legis habere praescripta in Constitutione *Sapienti consilio*, gratiae ac dispensationes omne genus a Sancta Sede concessae, etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur qui nominatim excommunicati sint, aut a Sancta Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis multati.

Art. II. — *Quando agitur de causis ordinis disciplinam et administrationem spectantis.*

7. In causis apud sacras Congregationes administrationis ac disciplinae tramite agitandis, remota litis contestatione, exclusa auditione testium nullisque scriptis patronorum receptis habebitur quaestio; audientur tamen semper partes quorum interest, ab iisque producta documenta excutientur.

8. Ut ii, quorum interest, suam causam dicere valeant, erunt praemonendi, vel per suos Ordinarios vel directo, ad iuris communis normas.

9. Quod si pro re sua typis edere ac distribuere scriptum suum aliquod vellent, facere hoc poterunt, servatis normis statutis in *can. 29 Legis propriae* S. Romanae Rotae, congrua congruis referendo.

10. Quaestione semel instituta penes Congregationem aliquam administrationis ac disciplinae tramite, et a partibus admisso aut saltem non recusato hoc agendi modo; his iam non licet eadem de causa actionem stricte iudicialem instituere.

Eoque minus, deliberata re atque ad sententiam deducta, fas erit hoc agere.

Est nihilominus Congregationi sacrae facultas, quovis in stadio quaestionis, ad iudices ordinarios causam deferre.

Cap. IV. — De diebus quibus cardinalium coetus coadunantur ac de modo procedendi plenarum congregationum.

1. Stati dies habendis coetibus Patrum Cardinalium erunt

dies	*Lunae*	pro SS. CC.	Propagandae Fidei, et Indicis;
„	*Martis*	„	Rituum, Caeremoniali, et Studiorum;
„	*Mercurii*	pro S. C.	Sancti Officii;
„	*Iovis*	pro SS. CC.	Consistoriali, et pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis;
„	*Veneris*	„	Sacramentorum, et religiosorum Sodalium;
„	*Sabbati*	pro S. C.	Concilii, et pro Signatura Apostolica.

In Officiis, quae unum eumdemque suis conventibus agendis habent constitutum diem, ipsorum Moderatores consilia inter se inibunt de iisdem habendis per hebdomadas diversas.

2. Si quaestio eiusmodi sit, quae plenae Congregationis iudicium postulet, conficiendum erit officiale folium, compendio collectam quaestionem exhibens, cum adiecto brevi summario ac dubiis ad excutiendum propositis.

In gravioribus aut difficilioribus sive de facto sive de iure quaestionibus, singularum Congregationum Moderatores curabunt unius vel alterius Consultoris rogare sententiam, officiali folio adiiciendam.

3. Folia officialia, Consultorum *vota*, quidquid proelo edi debeat nomine Officiorum Sanctae Sedis, documenta ipsa aut defensiones, quae partes exhibere velint, ubi agatur de criminum aut matrimonii causis prudentius cautiusque tractandis, haec omnia Vaticanis typis imprimenda tradentur. Cetera aliis etiam officinis committi poterunt, quae a Cardinali a secretis Congregationis Consistorialis in suo Congressu probatae sint, et in quibus cautum sit circumspectioni pro variis casibus necessariae.

4. Scripta typis impressa Patribus Cardinalibus dispertientur decem saltem ante diebus quam Congregatio habeatur.

5. Qui typis edita folia scriptave alia receperint, quae, sive positivo praecepto sive rei delicatiore natura, postulant secreti religionem, de arcano servando erunt maxime solliciti; idque, non per dies tantum rei studio tributos, sed etiam posthac, quamdiu impressa ea folia scriptave domi retinuerint.

Iidem curare debebunt, ut, post obitum, ea documenta suo quaeque Officio inviolata restituantur.

Hac lege aeque obstringuntur uniuscuiusque Officii administri, Consultores et Patres Cardinales.

Easdem qui chartas alio deferat, debitis modis ac tutiore via transmittendas curabit.

6. Nulla fit immutatio in recepto more quo sacrae Congregationes quaedam in certis negotiis, aliquot ante dies quam Patrum Cardinalium cogatur coetus, convocant Consultorum collegium, ut eorum sententiam rogent.

Summam hanc sententiarum postulare poterunt semper Moderatores Congregationum aut Patres Cardinales aliis etiam in causis, praeter ordinarias, modo sint maioris momenti.

7. In Patrum Purpuratorum coetibus primus sermonem instituet Cardinalis Ponens, seu relator, si aderit; eo absente, aut post ipsum, Cardinalis priorem obtinens locum; subinde ceteri ex ordine; denique Cardinalis Praefectus aut eius vice fungens.

8. Quae sacrae Congregationi aut plerisque illorum, qui interfuerunt, decernenda visa sint, ea, constanti lege, cui derogabitur numquam, exarari scripto debebunt, perlegi et pro contione approbari.

Eadem servabitur lex in Consultorum conventibus.

9. Si nihil obstet, sententia, in quam sacer Ordo devenit, a Praelato a secretis, in suo Officio evulgabitur; et de ea scriptum aut typis impressum exemplar tradetur omnibus eiusdem Congregationis Cardinalibus in Urbe residentibus.

10. Sententia evulgata, parti oneratae licet intra dies decem novae audientiae beneficium flagitare. Cardinali autem Praefecto, audito Congressu, arbitrium erit eius beneficii concedendi aut recusandi, prout rerum adiuncta suaserint.

Quod si Patrum Cardinalium deliberatio secumferat clausulam *amplius non proponatur*, non poterit novae audientiae beneficium concedi, nisi ab ipsa Congregatione universa.

11. Expensae, quas partes in causis agendis coram sacris Congregationibus obierint, generatim repeti non possunt.

Attamen cum pars vocata ad suum ius persequendum, per contumaciam defuerit, si postea velit rem iudicatam referre, hoc est, causam denuo cognoscendam proponere, debebit aut se de contumacia purgare, aut congruam pecuniae summam deponere, qua impensae sarciantur diligentem partem aut Sanctae Sedis Officium rursus gravaturae.

Item si quis absque legitima causa temere postulet ut quaestio in plena Congregatione proponatur, Cardinalis Officii praeses una cum suo Congressu exigere ab instante poterit, ut congruam summam ad eumdem finem, ut supra, deponat.

Cap. V. — De relationibus Summo Pontifici agendis.

1. In relationibus Pontifici Summo faciendis iuxta memoratam Constitutionem, curae erit, pro implicatioribus saltem negotiis, scriptum rei compendium prae oculis habere quod deinde in tabulario adservabitur una cum resolutione, appositis die et anno subscriptoque nomine referentis.

2. Si Romano Pontifici visum fuerit aliquid a Sacra Congregatione deliberatum immutare, de hac re certiores fient Emi Patres in proximo coetu, ad ipsorum normam.

Cap. VI. — De munere variorum administrorum communiter.

1. Praelatus, ad quem, quovis nomine, moderatio Officii a secretis proxime spectat, ut est *num. 2., cap. I. Norm. comm.* huius legis, providebit ut negotia, qua par est celeritate ac diligentia expediantur, secundum normas constitutas.

Ad eum pertinet maiorum praesertim negotiorum tractatio, et cura ut, quae ad eadem referuntur, epistolae ac rescripta redigantur.

Ipse Consultoribus committit studium causarum, seu *positionum*, de quibus dicant rogati sententiam; eosdem convocat quoties oportet, eorumque coetibus praeest.

Interest Congregationibus Patrum Cardinalium, notat formâ praescripta quae ipsi decreverint, et ad Sanctissimum Patrem refert statis diebus, quibus ei facta sit Ipsum adeundi potestas.

Pro Cardinali Officii praeside, si desit, Congressus habet ac moderatur. Salvis autem peculiaribus cuiusque Officii normis, communiter eius actis cum Cardinali subscribit.

Administrationi pecuniae advigilat, eamque dirigit secundum legis huius praescripta *num. 7., cap. XI. Norm. comm.* Prudenti eiusdem iudicio relinquitur decernere, utrum praestet, ad eos, qui directam petierint expeditionem negotii tributo gravati, rescriptum, tamquam rem creditam, transmittere, an postulare ut ante solvatur.

Iuxta praescriptum Constit. *Promulgandi*, quae hac ipsa die vulgatur ac praesentis legis pars, moderatoribus *Commentarii officialis de Apostolicae Sedis actis* ipse tradere tenetur exemplaria decretorum Officii sui, quae promulgari debent. Quae vero utiliter evulgari possunt, eisdem tradet, Cardinali Officii praeside consentiente. In utroque casu, ea subsignabit, aut ab alio administro subsignari iubebit, in fidem et testimonium veritatis.

Si quae cum aliis S. Sedis Officiis communicari aut eisdem tradi debeant, et in omnibus ubi gravius aut urgentius quid accidat, Cardinalem praesidem semper conveniet.

2. Fungentes pro Praelato a secretis, aut Substituti, debent non solum praescriptas officii sui partes exsequi omnes, sed etiam adiumento esse Praeposito in iis omnibus quae ipse postulet, eiusque absentis aut impediti vice munus implere.

3. Studii adiutores, seu informatores (*minutanti*), debent:

a) in suae quisque causae, seu positionis, studio versari, in iisque praeterea quas ipsis Officii Praepositi cognoscendas committant; eas in epitomen cogere distincto in folio, quod velut indicem positionis exhibeat actorumque seriem, quae deinceps adiecta sunt. Eo compendio non egent expostulationes aut supplices preces paucis contentae verbis, et quae forte longius non protrahentur;

b) interesse Congressui, ut de commissis ad cognoscendum negotiis referant, suamque sententiam proponant, cauto primum, ut, exceptis urgentioribus casibus aut positionibus, de quibus in litt. *a*, relatio semper fiat ex scripto ante compendio; deinde, ut in maioribus ac difficilioribus causis positio cum adiecto compendio, antequam cogatur coetus, ad Praelatum Officio praepositum deferatur, ab ipso vel per se vel per alium primi ordinis administrum expendenda quo plenius atque facilius possit de causa penitus cognita in Congressu dicere;

c) epistolas et rescripta de rebus ad suam positionem pertinentibus, aut sibi commissis, ductu maiorum administrorum exarare, et statuere quomodo sint transmittenda, utrum et quodnam sive ordinarium sive speciale tributum solvendum sit, an fiat exemptioni locus;

d) officiale folium et summarium documentorum maioris momenti conficere, quum res erit ad plenam Congregationem referenda; eius imprimendi curam suscipere, typicas formas emendare. In hoc autem redigendo folio vigentem consuetudinem retinebunt; et ubi res postulaverit, inserent iuris et facti animadversiones vel necessarias vel utiles ad iustam solutionem quaestionis.

4. Adiutoribus, et, si fieri potest, etiam scriptoribus, sua cuique negotia erunt, materiae aut regionis ratione divisa.

5. Adiutores laurea doctoris oportet esse insignitos in sacra theologia et in iure canonico.

Iidem in Congregationibus praesertim, quorum negotia regionis ratione divisa sunt, unam saltem callebunt ex his linguam: gallicam, germanicam, anglicam, hispanicam, lusitanam. Curabunt autem Praepositi ut in Officio a secretis sermones hi omnes intelligantur; cuius rei gratia opportunum erit, candidatis, etiam ad alia inferiora officia, tamquam conditionem proponere, ut vel unam ex memoratis linguis, pro casibus ac necessitate sciant.

6. Scriptorum amanuensium est, Officii epistolas et rescripta e positione exscribere, et quae paucis recepto usu indicata sint verbis, ea fusius evolvere.

Curam omnem adhibebunt, ut quavis menda scriptura careat; nec subscribenda tradent, nisi prius attente perlegerint. Huic diligentiae qui desit identidem, praebere poterit causam, cur in ipsum severius animadvertatur. Absoluta scriptione, nomen suum et cognomen initialibus litteris positioni adiicient in confecti operis testimonium.

Epistolae ac rescripta redigentur communiter in foliis, quae inscriptum gerant suae Congregationis nomen, induentque formam ex instituto Romanae Curiae vigentem.

7. Qui conficiendis tabulis, seu *protocollo*, dant operam, in librum et in parvam rubricam documenta referent actaque Officio exhibita; relatarum in album rerum indicium, vulgo *oculum* folio vel positioni apponent; rite digestum habebunt librum *rerum notabilium;* positiones in tabularium nondum relatas ordine disponent, eas dividentes pro sua quamque dioecesi et pro annorum ac mensium serie, secundum progredientem protocolli numerum.

8. Tabulario addicti, eidem recte ordinando vacabunt; positiones resument; utrumque indicem conficient, alterum litterarum ordine digestum, referentem petentium nomina, aut eorum contra quos expostulatum sit, in causis alicuius momenti; alterum ordine materiae, res maiores complectentem quae anni de-

cursu actae sint; denique muniti scripto mandato in actis adservando, petita documenta exscribent, eaque exempla cum primo concordare declarabunt.

9. Ad officium expeditionis pertinent ratiocinator, et distributor qui etiam arcarii fungetur munere.

10. Ratiocinatoris erit in menstruum folium referre (de quo huius legis *num. 4 cap. XI Norm. comm.*) rescripta omnia taxationi obnoxia, indicata dioecesi, numero protocolli ac pecunia Sanctae Sedis solvenda, a maioribus administris aut adiutoribus taxata; ex ea taxatione supputare, servatis normis in memoratis locis huius legis descriptis aliisque seorsim exhibendis, expensas procurationis et exsecutionis si id negotii fuerit Ordinario commissum; in tergo rescripti, vel distincto in folio secundum praescripta *num. 6,* memorati *cap. XI,* impresso signo vim pecuniae solvendam notare; eamque, ubi de maiore agatur pecuniae summa, exprimere integris litteris.

11. Distributoris munus erit:

a) partibus quarum interest, aut ipsarum procuratoribus seu agentibus, acta, litteras, rescripta distribuere; pecuniam exigere Sanctae Sedi debitam, si quae sit, eamque in arcae folio notare;

b) prospiciet ut epistolae et fasciculi actorum, in Urbe distribuenda, ad eos, ad quos pertinent, apparitorum adhibita opera mittantur: quae vero extra Urbem ex officio mittenda sunt, ea per publicos cursores transmittantur;

c) litteras et rescripta, quae occlusa mittenda sunt iuxta *num. 6* memorati *cap. XI,* praeposita nominis et loci inscriptione, obserabit;

d) ante vero quam acta tradat vel mittat, inspiciet sintne ipsis rite subscripta nomina; eaque sigillo munienda curabit, secundum Officii normas;

e) acta taxationi obnoxia numquam dimittet ante solutam pecuniam, nisi scripta Praepositorum accedat auctoritas. Quam si cautelam neglexerit, in se periculum recipiet, expletoque mense, de suo restituet;

f) distributoris quoque munus est, Praepositorum auctoritate, officiales curare sumptus pro necessaria tabularii seu *cancellariae* suppellectili sive comparanda sive instauranda;

g) tandem si quis Ordinarius petierit ad se directo aliquid mitti, simulque aliquam pro expensis pecuniae vim ad Sanctam Sedem expedierit, distributoris erit missam ad Officium a secretis pecuniam servare, cuius partem administrationi oeconomicae S. Sedis debitam, impetrata gratia, tradet; reliquum, arbitrio mittentis adhibendum, retinebit.

Ad hunc finem, accepti et expensi tabulas peculiares habeat, omnium rationem Praelato a secretis sub exitum mensis redditurus. Pecunia vero in Officii arca, distincto loco, servetur.

12. In Officiis, ubi propter negotiorum numerum unus distributionis administer non sufficiat, alius adiicietur. Munia superius recensita, prudenti Moderatorum arbitrio, inter utrumque dividentur, ita ut uni cura sit praesertim distributionis litterarum, alteri rescriptorum et perceptionis taxatae pecuniae.

13. Tabularii, protocolli, expeditionis et scriptionis administri censentur inter se pares. Patet igitur iis transitus de uno in aliud officium ex prudenti Moderatorum iudicio, nullo ulterius indicto certamine.

14. A mox recensitis officiis ad munus adiutoris nullus datur adscensus. Quare, vacuo adiutoris officio, peculiare certamen indicetur.

15. Etsi, quod supra dictum est, sua cuique definita sint munia, firma tamen communis manet lex, qua omnes administri debent absentium partes mutua vice supplere, ac fraterna caritate alter alteri adiumento esse, prout aequum Praepositi iudicaverint.

16. Apparitores seu ianitores debent aedes sibi commissas custodire, earum nitorem curare, epistolas et actorum fasciculos ad quos spectant, vel ad stationes tabellarias ferre, aliaque peragere quae a Moderatoribus commissa habeant in sui Officii commodum.

Salvis, si quae sint, iuribus acquisitis a praesentibus Officiorum apparitoribus, ceteri ex eo numero posthac eligentur ad

triennium, eaque nominatio poterit ad ulteriora triennia prorogari, prout ipsi sese integros idoneosque probaverint.

Omnes denique iusiurandum interponent de secreto servando in sui Officii rebus huic nexui subiectis.

Cap. VII. — De singulis sacris congregationibus.

Art. I. — *Congregatio Sancti Officii.*

1. Huius Congregationis administri maiores, post Cardinalem a secretis, sunt Adsessor et *Commissarius.*

2. Consilium constabit, ut ante, Consultoribus a Summo Pontifice nominandis. Praeter Consultores, pergent esse nonnulli Censores, vulgo *Qualificatori.*

3. Minores administri ad cetera, quae retinebunt munia, adiunctam habebunt indulgentiarum expeditionem.

4. Unus e substitutis notariis officium sibi assumet imponendae taxationis rescriptis, quibus dispensatio conceditur ab impedimentis *disparitatis cultus* et *mixtae religionis*, aut impertiuntur indulgentiae,

5. Alterius erit epistolas et rescripta distribuere debitamque pecuniam exigere.

6. In tractandis negotiis, quae ad catholicam doctrinam moresque pertineant, et in iudicio ferendo de criminibus haeresis aliisve suspicionem haeresis inducentibus, atque in iis omnibus quae ad dispensationes ab impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis referuntur, Congregatio Sancti Officii suo more institutoque procedit, sibique propriam consuetudinem retinet, servatis normis in hac lege constitutis, quantum cum necessaria S. Officii disciplina componi possint.

Congruenter ad haec, dubia quae circa competentiam Sancti Officii in aliqua re oriri possunt, ipsamet haec Congregatio per se dirimet, servatis semper terminis a Constitutione *Sapienti consilio* praefinitis.

7. Mos procedendi S. Officii, de quo in superiore *num. 6.* itemque temporalis suae administrationis gerendae ratio, quam-

primum erunt scripto redigenda, et postquam a Patribus Cardinalibus revisa fuerint, per Cardinalem a secretis Summo Pontifici erunt subiicienda ut approbentur.

8. *Circa indulgentias,* in ea parte quae est disciplinae et gratiae, nova Romanae Curiae ordinatione Sancto Officio tributa, haec Congregatio adhaerebit normis ea de re propositis a Clemente IX in Constit. *In ipsis* die VI mensis Iulii a. MDCLXIX, quae lex plene vigebit. Ipsius igitur erit " omnem difficultatem " ac dubietatem in indulgentiis emergentem, Romano Pontifice " circa graviora difficilioraque consulto, expediendi; ac, si qui " abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, " corrigendi et emendandi; causas vero iudicialem formam requi- " rentes ad proprios iudices remittendi; falsas, apocryphas indi- " scretasque indulgentias typis imprimi vetandi; impressas re- " cognoscendi et examinandi ac, ubi Romano Pontifici retulerit, " illius auctoritate reiiciendi; ac in concedendis indulgentiis " moderationem adhibendi „.

Firma pariter manet lata lex per decretum sacrae Congregationis Indulgentiarum ac Reliquiarum a Benedicto XIV approbatum die XXVIII mensis Ianuarii a. MDCCLVI, et a Pio IX confirmatum die XIV Aprilis MDCCCLVI, hoc est: " Impetrantes posthac " generales indulgentiarum concessiones teneri, sub poena nul- " litatis gratiae obtentae, exemplar earumdem concessionum ad " Secretariam sacrae Congregationis deferre „.

9. Rebus huius partis liber protocolli destinabitur ac distintum tabularium. Erunt etiam et administer maior titulo Substituti, et peculiares Consultores.

10. Congressus pro his negotiis constabit Cardinali a secretis, Adsessore, Commissario et Substituto indulgentiarum.

11. Administri, Consultores, Cardinales, quibus de hisce rebus erit agendum, non obstringentur circa eas speciali vinculo secreti S. Officii, sed communi a praesenti lege praescripto.

12. Indulgentiarum petitiones, dubia, occurrentes quaestiones, relata prius in librum protocolli, ad Substitutum transmittentur primo eius examini subiicienda.

13. Si, quemadmodum superius praescriptum est *cap. II. Norm. pecul.*, agatur de gratia, quae secundum vigentem consuetudinem communiter concedi soleat, et si dubiorum et quaestionum solutio obvia et perspicua fiat ex iam probatis receptisque sententiis, res in Congressu diiudicari poterit, ad normam facultatum, quas Pontifex Maximus concedendas censuerit.

Sin aliter, res in plena Congregatione tractabitur cum folio officii per Substitutum redigendo, atque uno aut pluribus Consultorum suffragiis. De soluta vero quaestione relatio erit peragenda Pontifici.

14. Mittentur per Breve indulgentiae perpetuae, itemque ex temporariis illae, quae totam dioecesim, provinciam, regionem, vel universam Ecclesiam complectuntur: tum etiam facultates perpetuae applicandi indulgentias alicui piae supellectili.

Substitutus ab indulgentiis cum Cancellario Brevium communicabit de rebus necessariis ad exsecutionem Brevis.

15. Epistolae ac rescripta de indulgentiis a Congregatione Sancti Officii exarata, subscriptum gerent nomen Cardinalis a secretis, aut alicuius ex Emis Patribus eiusdem sacri Consilii, contra posita subscriptione Adsessoris, eoque impedito, Substituti ab indulgentiis.

Art. II. — *Congregatio Consistoriali.*

1. Post Cardinalem a secretis, maiores administri sunt Adsessor et Substitutus.

2. Collegium erit Consultorum, iuxta praescriptum Constitutionis *Sapienti consilio.*

3. Habebitur quoque sufficiens administrorum minorum numerus pro expediendis negotiis huius Congregationis propriis, iuxta statuta in *cap. VI* praecedenti.

4. Praeter commune iusiurandum, omnes qui aliquo munere in hac sacra Congregatione funguntur, illud etiam dabunt, quod Sancti Officii iusiurandum dicitur, his verbis expressum:

" In nomine Domini.

" Ego N. N. sub poena excommunicationis latae sententiae " ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua, prae-

" terquam in articulo mortis, a nullo nisi a Summo Pontifice, " ipso quidem Cardinali Poenitentiario excluso, absolvi possim; " et sub aliis poenis etiam gravissimis arbitrio Summi Pontificis " mihi in casu transgressionis infligendis, spondeo, voveo ac iuro, " inviolabile secretum me servaturum in omnibus et singulis " iis quae ad Episcoporum, Administratorum Apostolicorum alio- " rumque Ordinariorum electionem, vitam, mores agendique ra- " tionem delata sint; itemque in omnibus quae ad dioecesum " erectionem seu earumdem unionem spectent, exceptis dumtaxat " iis, quae in fine et expeditione eorumdem negotiorum legitime " publicari contingat: et hoc secretum me servaturum cum om- " nibus qui eodem iuramenti vinculo constricti non sint, et " cum iis etiam qui quamvis hoc secreto teneantur et ad Con- " gregationem Consistorialem pertineant, nihilominus in Urbe " habitualiter non commorantur; neque umquam, directe, nutu, " verbo, scriptis, aut alio quovis modo et sub quocumque colo- " rato praetextu, etiam maioris boni aut urgentissimae et gra- " vissimae causae, contra hanc secreti fidem quidquam commis- " surum, nisi peculiaris facultas aut dispensatio expresse mihi a " Summo Pontifice tributa fuerit.

" Denique si supplices libellos, commendationes aut litteras " de memoratis negotiis a qualibet persona receperim, sacrae " Congregationi rem patefaciam.

" Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia, quae " meis manibus tango „.

5. Invitationes ad sollemnia pro decernendis Sanctorum Caelitum honoribus, ad aliasque sacras celebritates, fient per huius Congregationis epistolas.

6. Plenae Congregationi ius competit nominandi Episcopos omnes, stabiles Ordinarios dioecesanos, Visitatores Apostolicos dioecesum. Ad eamdem pertinet novas dioeceses constituere, constitutas unire; canonicorum collegia, seu *capitula*, erigere; Visitatorum atque Ordinariorum de statu suarum dioecesum relationes expendere; dioecesano regimini ac Seminariis universim prospicere; specialiter vero iis omnibus occurrere quae graviora videantur, prout ante praescriptum est; denique in conflictatione

iurium dubia solvere circa competentiam omnium Officiorum, excepta Congregatione Santi Officii, quae ipsa per se de sua competentia iudicabit, iuxta superius dicta.

In Episcopis nominandis, quoties id ei competat, Congregatio Consistorialis inhaerebit normis Constitutionis *Romanis Pontificibus*, diei XVII mensis Decembris MDCCCCIII.

7. Ad Congressum pertinet, praeter ea quae communibus huius legis normis sunt constituta, nominare Administratores Apostolicos temporarios dioecesum, ubi necessitas urgeat; acta omnia conficere ad praeparandam positionem super eligendis in Italia Episcopis, et ad reliqua in plena Congregatione discutienda; ea providere quae dioecesum ac Seminariorum ordinarium regimen spectant, qualia sunt dispensationes Episcopis a commorando in sua sede, facultas iisdem protrahendi relationem de statu dioecesis, aliaque huiusmodi; quaecumque denique ad solvendam pro eiusdem Congregationis actis pecuniam referuntur.

8. Relationes de statu dioecesum, nisi gravior urgeat providendi ratio, ad plenam Congregationem non deferentur seorsim singulae, sed pro variis provinciis regionibusve coniunctae.

Adiutor autem in redigendo summario res adnotabit maioris momenti, sive quae bene sive quae male successerint.

9. Idem fere servabitur in relationibus Visitatorum Apostolicorum.

10. Nominationes omnes, quae solent in Consistorio promulgari, non aliter fient, nisi per litteras signo Romani Pontificis impressas, seu per Bullam.

Eadem ratione decreta mittentur alicuius novae constituendae dioecesis, aut canonicorum collegii, seu capituli, aut uniendarum dioecesum.

11. Administri maiores Congregationis Consistorialis significationes opportunas ad Bullam conficiendam maioribus Cancellariae administris exhibebunt. Eiusmodi significatio in Cancellaria retinebitur, et Bulla, debito sigillo et subscriptione munita secundum proprias Cancellariae Apostolicae normas, quamprimum transmittetur ad Officium a secretis Congregationis Consistorialis.

12. Quae pro Bullae expeditione imponetur solvenda pecunia, Congregationi Consistoriali tradetur integra.

Ad hunc finem administri maiores aut adiutores Congregationis Consistorialis constituent pretium, quod referetur in librum; et ab administris expeditionum secundum normas communes percipietur.

Art. III. — *Congregatio de Sacramentis.*

1. Maiores administri, post Cardinalem Praefectum, erunt Praelatus a secretis et Subsecretarii tres.

2. Theologi et sacri iuris periti aliquot, a Summo Pontifice delecti munere Consultorum fungentur.

3. Aderit quoque congruus administrorum minorum numerus.

4. Ex tribus Subsecretariis unus, cum adiutore ac scriptoribus aliquot, in petitiones omnes circa impedimenta matrimonii praecipue incumbet.

5. Alter Subsecretarius, cum adiutore ac scriptoribus aliquot, ceteras curabit preces ad matrimonia pertinentes, uti sanationes in radice, natalium restitutiones, quaestiones de iustis aut irritis coniugiis vel de dispensatione in matrimonio rato, dubia, et huiusmodi alia.

6. Tertius Subsecretarius, cum adiutore et aliquot scriptoribus, sacrae Ordinationis aliorumque Sacramentorum rebus, excepto matrimonio, vacabit.

7. Protocolli duo libri sunto; alter precum pro dispensationibus ab impedimentis matrimonii; alter postulationum ceterarum, sive quae ad matrimonium sive quae ad reliqua Sacramenta referantur.

Bini administri primo protocolli libro redigendo praecipuam operam dabunt; bini secundo.

8. Etiam tabularium duplici parte constabit; altera, cui erunt reservatae positiones dispensationum ab impedimentis matrimonii, altera pro ceteris.

9. Potestas huius Congregationis propria statuta est a Constitutione *Sapienti consilio.*

10. Peculiariter vero ad eam pertinet has concedere facultates, quae ad omnem tollendam ambiguitatem heic recensentur, hoc est:

a) adservandi SS̄mam Eucharistiam in templis aut in sacellis eo iure carentibus;

b) celebrandi Sacrum in sacellis privatis, et cetera largiendi privilegia quae in hac re concedi solent, ipsius decori sacelli advigilans;

c) erigendi altaris ad litandum sub dio;

d) celebrandi ante auroram et post meridiem;

e) legendi Missam feria V in Coena Domini, itemque tres Missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis privatis, cum distributione SS̄mae Eucharistiae;

f) utendi pileolo vel capillamento in celebratione Missae aut in deferenda SS̄ma Eucharistia;

g) coeco aut coecutienti ut litare possit cum facultate legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis;

h) celebrandi Sacrum in navibus;

i) Episcopum consecrandi die alio ab iis qui in Pontificali Romano statuti sunt;

k) sacros Ordines extra tempora conferendi;

l) eximendi fideles, ipsosque Sodales religiosos, quoties opus sit, a lege ieiunii eucharistici.

11. Plenae Congregationis iudicio reservatur:

a) in re ad matrimonium pertinente, examen petitionum dispensationis ab impedimentis difficultatem non communem exhibentibus, sive ea exsurgat ex natura rei sive ex dubio de legitima dispensandi causa; separatio coniugum non pacifica; sanationes in radice; natalium restitutiones difficilioris negotii, cognitio causarum irriti matrimonii ac dispensationum super matrimonio rato, quae plenae Congregationis iudicium postulent; denique dubia omnia iuris circa disciplinam sacramenti matrimonii, quibus obvia et perspicua solutio nulla inveniatur in causis alias decisis, prout superius dictum est;

b) in ceteris Sacramentis, quaestiones omnes disciplinam spectantes, quarum flagitetur solutio, si haec in sententiis iam

probatis et in rebus alias iudicatis nulla habeatur: item petitiones gratiarum ac dispensationum non communium, quae a Congressu disceptatione digna videantur. Quapropter plenae Congregationi competent dispensationes ab irregularitate ad sacram Ordinationem in casibus dubiis vel difficilioribus, aut ubi impetrata gratia in dedecus cessura sit ecclesiastici coetus; supplices libelli circa irritam sacram Ordinationem aut circa eiusdem obligationes, aut ab his exemptionem, ubi causa solo disciplinae tramite tractanda sit; quaestiones iuris de loco, tempore, conditionibus ad Sacrum faciendum, ad ipsum geminandum, ad recipiendam adservandamque Eucharistiam necessariis; item de loco, tempore, conditionibus ab ecclesiastica disciplina requisitis ad cetera Sacramenta legitime ministranda et recipienda; simulque petitae hac de re dispensationes extraordinariae.

12. Ad Congressum pertinet iudicium de rebus ed plenam Congregationem deferendis, eorumque omnium instructio quae habendo consilio afferant lucem, sive institutis de facto investigationibus, sive exquisitis unius alteriusve Consultoris, aut etiam omnium, sententiis.

Eidem Congressui iudicare licet, atque etiam concedere, pro facultatibus quas Pontifex Maximus Cardinali Praefecto et Praelato a secretis tribuendas censuerit, dispensationes ab impedimentis matrimonii, ad normas inferius exhibendas.

Pariter ad Congressum pertinet ab aetatis ac tituli defectu dispensationes clero saeculari concedere; ab eucharistico ieiunio dispensare; permittere ut Augustum Sacramentum adservetur in ecclesiis et oratoriis quae hoc iure carent, et ut sanctum sacrificium celebretur in privatis sacellis, in iis casibus quibus huiusmodi gratiae impertiri solent, ad vigentis disciplinae normas et secundum communem legem superius memoratam.

13. Documento forma Brevis, redacto tamen in huius Congregationis Officio secreto, mittentur dispensationes ab impedimentis matrimonii cuiusvis gradus, modo honestae naturae, si dispensationes ipsae sint maioribus obnoxiae taxationibus.

Ceterae dispensationes documento mittentur forma rescripti.

14. Indulta privati sacelli cuiusvis generis, sui, familiae, aliorumve commodi causa petita, mittentur per Breve in proprio Secretariae Status officio redigendum.

Ab hac tamen lege eximuntur sacerdotes vel senio vel morbo affecti, qui solvendo pares non sint. Ad hos gratia mittetur forma rescripti et ad normas huius legis *cap. XI, Norm. comm.*

15. Indulta perpetua SS̄mae Eucharistiae adservandae in aliquo templo vel sacello, privilegii huius expertibus, pariter per Breve mittenda sunt. Temporaria mittentur per rescriptum, iisdem quae superiore numero normis.

16. Ubi gratia per Breve mittenda sit, Praelatus a secretis aut Subsecretarius, ad quem negotium pertinet, certiorem de re faciet Cancellarium Brevium cum eoque opportunas normas communicabit. Ille vero, cuius interest, hoc Officium adibit, suum documentum recepturus.

17. Si Summus Pontifex consuetas Congregationi facultates concedat, circa dispensationes ab impedimentis matrimonii serventur hae leges:

a) in impedimentis *minoris gradus,* de quibus inferius *num. 19*, ubi nihil obstet quominus dispensatio concedatur, gratiae concessio, loco maiorum Praepositorum, a Subsecretario *dispensationum,* aut ab eius adiutore signatur;

b) in impedimentis *maioris gradus*, de quibus proximo *num. 20*, si nihil pariter obstet, dispensatio a Cardinali Praefecto conceditur, aut a Praelato a secretis.

18. In dubiis, Subsecretarius de re conferet cum Praelato a secretis aut cum Cardinali Praefecto; hic ad Congressum plenamve Congregationem referet; ad ultimum, prout res ferat, relatio fiet Summo Pontifici.

19. Dispensationes *gradus minoris* sunt ab impedimentis:

a) consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti gradus lineae collateralis, sive aequalis sive inaequalis, hoc est quarti gradus mixti cum tertio, et quarti vel tertii mixti cum secundo;

b) affinitatis in primo gradu, et in secundo simplici vel mixto cum primo, ubi hoc impedimentum ex illicito commercio procedat;

c) cognationis spiritualis cuiusvis generis;

d) publicae honestatis, sive per sponsalia sive per matrimonium, super quod iam dispensatum sit, fueritque solutum.

20. Dispensationes *maioris gradus* concedi solitae, interveniente legitima causa, sunt ab impedimentis:

a) consanguinitatis secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis;

b) affinitatis primi et secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis;

c) criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii.

21. Dispensationes a minoribus impedimentis concedentur omnes *ex rationalibus causis a S. Sede probatis*. Sic vero concessae perinde valebunt ac si *ex motu proprio et ex certa scientia* impertitae sint: ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis.

22. Nisi Cardinalis Praefectus aut Praelatus a secretis aliquam sibi petitionem aut plures reservarint, supplices libelli omnes ad impetrandam dispensationem ab impedimentis, relati prius in tabulas, a protocollo ad Subsecretarium dispensationum eiusque adiutorem transmittentur.

Hi, opere inter sese aequa ratione distributo, quae ad ipsos pertinent, secernent a ceteris. Supplicibus libellis sibi reservatis consulent, signando gratiae concessionem initialibus sui nominis et cognominis litteris. Iidem constituent, debeatne dispensatio esse gratuita, an et quanti taxanda. Si vero gratia mittenda sit forma Brevis, id adnotare ne omittant. Post haec supplices libellos, quibus fuerit provisum, scriptoribus expediendos committent.

De ceteris petitionibus, quamprimum ad Cardinalem referent aut ad Praelatum a secretis ut opportune ipsi provideant.

13. Cardinalis et Praelatus a secretis, legitime impediti, possunt negotium Subsecretario committere largiendi dispensationes sibi reservatas, intra limites et cautelas quas duxerint necessarias.

24. In dispensationibus minoris gradus et in negotiis minoris momenti poterit documento subscribere Subsecretarius ad quem pertinet res, aut, hoc impedito, alteruter e duobus reliquis Subsecretariis, contra posita subscriptione amanuensis qui documentum exaravit tamquam *officialis*.

In maioris gradus dispensationibus et in negotiis maioris momenti documento subscribet Cardinalis Praefectus, aut alius eiusdem Congregationis Cardinalis, contra posita subscriptione Praelati a secretis, aut, hoc impedito, alicuius e Subsecretariis, ut in superiore numero.

Art. IV. — *Congregatio Concilii.*

1. Administri maiores, post Cardinalem Praefectum, sunt Praelatus a secretis et Subsecretarius.

2. Erit collegium Consultorum a Summo Pontifice renuntiandorum, quorum aliqui probati sint temporalium etiam gerendarum rerum peritia.

3. Aliquot etiam minores administri erunt, iuxta normas superius datas.

4. Potestas huius Congregationis propria statuta est in Constitutione *Sapienti consilio*.

Ad omnem tamen tollendam ambiguitatem, quae forte in aliquibus casibus oriri posset, nonnullae heic peculiares singillatim recensentur facultates, quae uni Concilii Congregationi reservantur. Eius itaque dumtaxat erit in posterum concedere:

a) collegiis canonicorum, seu Capitulis, dispensationes ab obligatione celebrandi Missam feriae ac vigiliae; Missae canendae et applicandae conventualis; canendi atque in choro recitandi horas canonicas;

b) tum Capitulis, tum singulis e clero saeculari, anticipationem recitationis officii matutini;

c) Capitulis, anticipationem Vesperarum et Completorii ante meridiem;

d) sacerdotibus e clero saeculari commutationem recitationis officii divini cum aliis precibus;

e) dispensationem a ieiunio praescripto ante consecrationem sacrarum aedium;

f) facultatem in interno templi vel publici sacelli pariete fenestram faciendi extruendique parvi chori, aut aperiendi ostii, quo privatus aditus patefiat;

g) dispensationem a laurea doctoris sive ex tabulis institutionis sive ex lege praescripta ad beneficium vel officium aliquod assequendum, quorum largitio ad Ordinarium pertineat.

5. Item ad Concilii Congregationem spectat iudicium de controversiis omnibus circa potiorem dignitatis locum, seu *praecedentiam*, exceptis iis quae Sodales religiosos attinent (quae controversiae Congregationi religiosorum Sodalium sunt reservatae), iisque pariter demptis quae *Cappellam*, Aulam pontificiam et Patres Cardinales spectant, ad Caeremonialem deferendae.

Item ad eam pertinet videre, administrationis et disciplinae tramite, de servitutibus, quas aedi sacrae se constituisse aliquis iactet, aut quas eidem velit imponere, qualia sunt habitatio in superiori contignatione, murorum impositio, atque horum similia.

6. Ad plenae Congregationis iudicium pertinent:

a) examen dubiorum circa iuris interpretationem in huius Officii rebus, quae dubia nullam facilem solutionem atque perspicuam nanciscantur in constitutis legibus aut in alias decisis; examen petitarum gratiarum, dispensationum, indultorum, quae concedi fere non soleant eo modo, aut ea latitudine; aliaque, quemadmodum superius dictum est;

b) cognitio Conciliorum provincialium. — Qua in re, ad vigentis disciplinae normam, unius Consultoris primum exquiretur sententia; deinde horum Collegii, aut partis eiusdem, non infra numerum Consultorum quinque, per vices eligendorum. Tum vero adiutor regionis, ad quam pertinet provinciale Concilium, acta et suffragia typis imprimenda curabit.

Pariter quidquid maioris ponderis in Episcoporum coetibus contigerit statutumve sit, ad plenam Congregationem referatur.

7. Congressus autem est, ad normam legis communis, necessaria parare ad negotiorum examen, quae plenae Congrega-

tioni sint reservata, ordinarias res expedire, solitas gratias concedere usitatis formis et pro facultatibus a Summo Pontifice acceptis.

8. In administrandae pecuniae negotiis, suae ac peculiares erunt servandae normae.

9. In rebus sanctae Domus Lauretanae, normae pariter serventur superius constitutae.

Art. V. — *Congregatio de sodalibus Religiosis.*

1. Huius Congregationis administri maiores sunt pariter, post Cardinalem Praefectum, Praelatus a secretis et Subsecretarius.

2. Erit collegium Consultorum a Summo Pontifice eligendorum.

3. Erunt etiam aliquot officiales minores, quot necessarii sunt iuxta regulas superius datas.

4. Alterius ex adiutoribus proprium officium esto curare quae ad religiosos Ordines pertinent; alterius quae ad congregationes et omne genus instituta virorum; tertii quae ad congregationes et instituta mulierum.

Pro unoquoque horum munerum sui erunt scriptores distributi.

5. In decernendo quaenam in plena Congregatione tractanda sint, quaenam maioribus administris aut Congressui reservanda, prae oculis habeantur superius *cap. II* constitutae normae, et quae in memoratis hactenus Congregationibus indicatae sunt.

6. Decretum quo laudatur probaturque institutum aliquod, et decretum approbationis constitutionum, itemque substantialis mutatio quaevis in iam probatis institutis inducenda, ad plenam Congregationem semper pertinebunt.

Art. VI. — *Congregatio de Propaganda Fide.*

1. Congregatio haec retinet constitutionem, disciplinam agendique rationem sibi propriam, in iis omnibus quae cum dispositionibus Const. *Sapienti consilio* et praesentis legis componi possunt.

2. Iuxta vero ea quae pro aliis Congregationibus statuta sunt, in officio a secretis alius administer adiicietur, nempe Subsecretarius.

3. Indulta, quae hactenus haec sacra Congregatio concedere solebat iis etiam qui suae iurisdictioni non essent obnoxii, in posterum suis subditis tantum tribuet.

4. Congregatio de Propaganda Fide pro Negotiis ritus orientalis sua munia ex integro servabit. In iis tamen, quae internam Officii disciplinam et modum tractandi negotia spectant, huius legis normis sive communibus sive peculiaribus inhaerebit.

5. Circa huius Congregationis et Camerae Spoliorum administrationem, peculiaris norma quamprimum dabitur, quae, a speciali Cardinalium coetu revisa, per Emum Praefectum Summi Pontificis approbationi subiicietur.

Art. VII. — *Congregatio Indicis.*

1. In ratione gerendarum rerum et in disciplina ac muniis administrorum haec Congregatio suas retinebit normas, se tamen conformando statutis Const. *Sapienti consilio* et praesentis legis.

2. Administri, Consultores, Cardinales huius Congregationis iusiurandum dabunt de secreto Sancti Officii servando, ut ipsis cognita sint quae ab eo sacro Consilio de prohibitione librorum agantur, ad normas memoratae Constitutionis.

Art. VIII. — *Congregatio SS. Rituum.*

1. Suam, quam hactenus, constitutionem retinet atque naturam, salvis praescriptionibus Const. *Sapienti consilio* atque huius legis, in iis quae ad Congregationem hanc referuntur.

2. Itaque quum huius proprium et cum aliis non commune sit munus curandi ut, in universa Ecclesia latina, sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis; idcirco debet:

a) advigilare liturgicis omne genus libris Ecclesiae latinae, eos inspicere, corrigere aut reprobare, salva Sancti Officii competentia in iis quae fidei capita, seu dogmata, respiciunt;

b) excutere atque approbare nova officia divina et calendaria;

c) dubia de ritibus iudicare ac dirimere;

d) quae hac in re necessaria videantur temperamenta, indulta, facultates concedere, veteri retento catalogo, novis tamen disciplinae normis circumscripto, iis praesertim quae superius allata sunt *num. 10.*, de Congregatione Sacramentorum, et *num. 4* et *5.*, de Congregatione Concilii.

3. Negotiis ad plenam Congregationem deferendis aut in Congressu tractandis erunt aptandae regulae haud semel indicatae in superius memoratis Congregationibus, et superiore *cap. II.*

4. In causis *Beatificationis* et *Canonizationis* standum normis eius rei propriis ac peculiaribus, servatis tamen semper huius legis praescriptionibus ad hoc genus materiae pertinentibus.

5. Circa sacras Reliquias, Congregatio Rituum inhaerebit praescriptis Const. *In ipsis*, die VI mensis Iulii a. MDCLXIX, superius memoratae sub *art. I.*, de Sancto Officio.

Art. IX. — *Congregatio Caeremonialis.*

Congregatio haec, suapte natura, constitutionem suam ac disciplinae rationem stabilem retinet nullique mutationi obnoxiam.

Art. X. — *Congregatio pro Negotiis eccl. extraordinariis.*

Huius pariter Congregationis natura et constitutio, non minus quam ratio disciplinae, immutata manet, salvis praescriptionibus eam spectantibus, in Const. *Sapienti consilio* et in hac adiecta lege comprehensis.

Art. XI. — *Congregatio studiorum.*

1. Quaenam sit huius Congregationis auctoritas statuitur in Const. *Sapienti consilio.* In iis vero quae ad internam discipli-

nam et negotiorum expediendorum rationem pertinent, regulas in hac lege statutas sive communes sive peculiares servabit.

2. Plenae Congregationi huius Officii competunt condendae novae studiorum Universitates ac Facultates omnes, quibus ius est academicos gradus conferendi; mutationes maioris momenti in iisdem iam institutis; cognitio questionum graviorum in ipsis occurrentium de patrimonii administratione, de magistri alicuius decurialis nominatione, da ratione studiorum, et de aliis huiusmodi; item quae necessario capienda consilia in commune videantur; postremo iudicium de excellenti aliquo viro academicis gradibus *ad honorem* decorando.

3. Congressus officium est ad plenam Congregationem deferenda parare; leviores controversias in aliqua studiorum Universitate vel Facultate subortas dirimere, ad normam praescriptorum superius.

4. Si qua velit in posterum studiorum Universitas aut Facultas nova constitui, opus est id fieri per Breve. Nulla pariter in praesentem Facultatum et Universitatum statum gravior immutatio induci poterit nisi per Breve.

Cap. VIII. — De singulis tribunalibus.

Art. I. — *Sacra Poenitentiaria.*

1. Tribunalis huius ambitu ad solum forum internum coarctato, suis muniis addicti, manebunt, praeter Cardinalem Poenitentiarum, Regens, Praelati quinque Signaturae, Procurator, seu a secretis, Substitutus et aliquot inferiores officiales.

2. In officii parte quam retinet, hoc sacrum Tribunal se geret ad normas praesertim Const. *In Apostolicae,* editae die XIII mensis Aprilis a. MDCCXLIV a Benedicto XIV, salvis immutationibus legitimo usu posterius inductis, quae erunt scripto redigendae et a Cardinali Poenitentiario subiiciendae approbationi Pontificis; firmisque praescriptis a Const. *Sapienti consilio* et ab hac lege, in omnibus quae hoc sacrum Tribunal spectent.

3. Iuxta memoratae Constitutionis Benedicti XIV praescripta, *omnia secreto et gratis* in hoc sacro Tribunali expedientur.

Art. II. — *Sacra Romana Rota et Signatura Apostolica.*

1. Utriusque Tribunalis quae debeat esse procedendi ratio, qui et quales administri, a *Lege propria* potissimum decernitur adiuncta Constitutioni *Sapienti consilio.*

2. Nihilominus in his etiam Officiis servanda sunt praesentis Ordinationis praescripta in iis omnibus, quae ad expedienda negotia, ad iusiurandum, ad administrorum munia horumque similia referuntur, quantum scilicet huius Ordinationis normae cum *Lege propria* consentiant.

Cap. IX. — De singulis officiis.

Art. I. — *Cancellaria Apostolica.*

Purpuratorum Patrum coetus, constans Cardinalibus tribus, Cancellario, Datario et a secretis Consistorialis, reformandas quam primum curabit formulas *Bullarum collationis* beneficiorum, sive consistorialium, sive aliorum; itemque *Bullarum* constitutionis dioecesum, Capitulorum; denique Regularum, quas *Cancellariae* vocant.

Art. II. — *Dataria Apostolica.*

1. Ob inductam a Const. *Sapienti consilio* novam ordinationem, Datariae Apostolicae hoc relinquitur munus, quod in beneficiorum non consistorialium collatione versatur. Atque in hoc etiam Officio sunt retinendae normae huius legis in iis quae ipsum attingant.

2. In collatione beneficiorum ea ratio servabitur, quam praesens lex et vigens usus praestituunt, cauto tamen ut hic cum novis praescriptionibus memoratae Constitutionis cohaereat, donec, reformatis Cancellariae Regulis, aliter provideatur.

3. Bullae collationis prima perscriptio (*minuta*) fieri debebit ab uno adiutore, et loco erit veteris, uti vocant, *supplicationis;* eaque in actis servabitur ad cautionem et recognitionem, si qua forte inciderit impugnatio.

Nihil immutatur in invecto usu providendi nonnumquam beneficiis per decretum *simplicis signaturae,* hoc est nullis Bullis expeditis.

4. Subscribetur Bullis a Cardinali Datario, eoque impedito, a Cardinali a publicis negotiis seu *a secretis Status*, contra posita subscriptione illius officialis, qui primus ordine temporis post Datarium sit et in officio adsit.

5. Curabit praeterea Dataria ut imponantur et exigantur pensiones et onera beneficiis Urbis adnexa, ad arcam pensionum, quam vocant, pertinentia. Quare officialis distributor exiget solvendam ab iis pecuniam, qui oneribus aut pensionibus graventur; ac deinde ius habentibus ad pensiones aliave emolumenta debitis modis satisfaciet.

Trimestri quoque spatio Cardinalis Datarius, aut eius vice alius, arcae statum explorabit, supputatisque rationibus, suae auctoritatis testimonium adscribet.

Art. III. — *Camera Apostolica, Secretaria Status Secretariae Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum.*

1. Haec Officia receptum huc usque suis muniis fungendi morem ut ante retinebunt, salvis praescriptionibus Const. *Sapienti consilio* et huius Ordinationis, in iis omnibus quae eadem attingant.

2. Peculiaris coetus trium Cardinalium, quos inter Cardinalis *a secretis Status*, Brevium Apostolicorum formas instaurandas curabit, quae ab ea *Secretariae Status* parte mitti solent, cui est Apostolicorum Brevium cura commissa.

APPENDIX.

Institutio circa modum in tabulas referendi et scripta expediendi.

1. In omni Officio liber erit annui protocolli, in quod, ordine temporis, preces et expostulationes referentur singulae, quae per annum exhibeantur.

Haec in album adscriptio, post numerum ordinis, indicabit: 1. dioecesim, ad quam preces aut expostulationes pertinent; 2. petentem aut expostulantem; 3. cur, aut contra quem expostulatio fiat; 4. exhibitionis diem; 5. procuratorem, seu agentem, si fuerit interpositus. Subinde vacuum chartae relinquetur spatium, in quo notetur, qui fuerit negotii processus, hoc est, scriptumne sit ad Ordinarium, impetratane gratia, an transmissa, negata, dilata, et ita porro.

Numerus protocolli debet in supplicem libellum referri, scriptum ad modum fractae partis, cuius *numerator* exprimat ipsius numerum protocolli; *denominator* vero annum, elisis litteris. Ita si negotium, pertinens ad annum MDCCCCVIII, in protocolli libro numerum ferat 500, inscribendum positioni erit fracta sic parte: $\frac{500}{08.}$ Tergo praeterea supplicis libelli apponentur adnotationes earum fere similes, quae in libro protocolli, hoc est, nomina dioecesis, recurrentis, ac cetera.

2. Habebitur etiam protocolli index, hoc est annua parva rubrica, in quam negotia ordine dioecesum digesta referantur, indicto, post nomen dioecesis, nomine postulantis cum numero protocolli, quo facilius investigationes in positionibus institui possint.

3. Numerus protocolli, semel positioni adsignatus, manet, etsi negotium ultra annum trahatur. Quod si, aut instaurata post aliquot annos quaestione, aut alia quavis de causa contingat, ut alius ei sufficiatur numerus, huius mentio fiet in priore numero, tam in libro protocolli quam in parva rubrica.

4. Relatis in protocollum chartis, resumptisque, si quae sint, prioribus, positiones ad maiores administros aut adiutores trans-

mittendae sunt, eorum cognitioni subiiciendae et ad rem, secundum suas cuiusque Officii normas, ad exitum deducendam.

5. Re deliberata et provisa, positiones deferendae sunt:

a) ad scriptores, quoties eadem de re aut epistola conficienda sit, aut aliquis vocandus, aut exarandum rescriptum;

b) ad distributorem, si positio Consultori vel alii viro studii causâ committenda sit;

c) ad protocollum, si aut iussum fuerit resumi priores, aut si coeptum consilium peculiarem exsecutionem non postulet, quemadmodum si rescriptum sit: *ad acta, reponatur, lectum,* aut horum aliquid simile.

6. Nisi quid aliter in suis cuiusque Officii normis praescriptum sit, aut nisi Moderatores opportunum duxerint alia ratione consulere, communiter ad eum qui prior est inter addictos protocollo, haec munium partitio spectabit. Ipsius igitur erit suas cuique scriptori positiones adsignare, prout singulis competunt sive ratione territorii, sive materiae. Idem in protocolli libro rescripta, de quibus *litt. b* et *c num. 5.*, superioris, notabit. Priora vero illa, de quibus *litt. a*, in album referet absoluto negotio.

7. Scriptores, expleto suo munere, positiones cum adiectis rescriptis ad ratiocinatorem transmittent.

Hic acta tradet ad subsignandum. Actorum vero fasciculos, seu *positiones*, apud se retinebit, ut in suo administrationis folio et deinde super rescriptis, cum subsignata redierint, taxationes adnotet, si quae sint adiectae. Deinde positiones ad protocollum remittet, cum sigla ex convento constituta ad significandum omnia esse confecta; litteras vero et rescripta distributori tradet.

8. Protocollo addictus rem in librum referet et positiones in suo quamque loco reponet. Distributor autem acta secundum proprias leges distribuenda curabit.

9. Si non subscripta redierint acta, vel si cum aliqua animadversione coniuncta, administri, pro variis casibus, Praepositorum sese mandatis conformabunt.

10. Memoratae normae sunt omnibus retinendae diligenter, nisi quid in iis quae sequuntur peculiaribus legibus exceptum sit pro aliquo Officio.

Quae superioribus capitibus continentur, SSmi D. N. Pii PP. X iussu accedunt Constitutioni Sapienti consilio *editae die* XXIX *mensis Iunii a.* MDCCCCVIII *et Ordinationi communi tunc temporis vulgatae. Eadem proinde vi pollent, anteriores abrogant contrarias leges, et servari ab omnibus integre debent, quavis alia ordinatione, usu, privilegio contrariis non obstantibus.*

Datum Romae, die XXIX mensis Septembris an. MDCCCCVIII.
De speciali mandato SSmi D. N. Pii Papae X

R. Card. MERRY DEL VAL.

CONSTITUTIONIS ANALYSIS

PARS PRIMA

De iis, quae universam Curiam respiciunt

Gomez Lud., De officialibus curiae. Venet., 1557. — Vestrius Octav., In romanae aulae actionem *εἰσαγωγή* idest introductio (cum not. Gravatii). Venet., 1564. — Vestrius Octav., De officiis et officialibus curiae romanae, et in quibus eorum versetur officium. Venetiis, 1565. — Vestrius Octav., Practica in curiae romanae actionem. Venetiis, 1565. — Marta Iac. Ant., Tract. de tribunalibus urbis et eorum praeventionibus. Romae, 1583. — Ortiz Fr., Curia ecclesiastica. Matriti, 1608. — Castracane, Tr. de sodalitatibus, quae fiunt super officiis romanae curiae. Rom. 1609. — Lysca Alex., De romana curia. Francof. 1613. — A Corneto S. T., Formularium cuiusvis generis instrumentorum ad stylum et communem usum romanae curiae. Romae, 1626. — Aubery, Histoire générale des cardinaux. Paris, 1642. — Diether Christoph. Lud., De stylo curiae. Argent., 1651. — Cohellius I., Notitia cardinalatus, in qua nedum de S. R. E. cardinalium origine, dignitate, praeeminentia et privilegiis, sed de praecipuis romanae aulae officialibus pertractatur. Romae, 1653. — Lunadoro, Relatione della corte di Roma. Ven. 1664. — Sprenger I. Theod., Roma nova. Francof. 1667. — Uberti Grat., De modo et ratione citandi et procedendi in romana Curia. Romae, 1680. — De Luca, Il cardinale pratico. Roma 1680. — Eybenius Wilh., Stylus curiae etiam in titulis interdum plumbeus imo cereus. Helmst., 1686. — Plettenberg Hunoldus, Notitia congregationum et tribunalium curiae romanae. Hildes. 1693. — Ridolphini, De ordine procedendi in iudiciis in romana curia. Ven. 1696. — De Luca I. B., Relatio curiae romanae forensis eiusque tribunalium et congregationum. Venetiis, 1759. — Platus H., Tract. de cardinalis dignitate et officio cap. 28 *app. un.* Romae, 1746. — Monaldini, Praxis ecclesiastica curiae romanae. Ulm. 1757. — Danieli, Recentior praxis curiae romanae. Romae, 1759. — Moroni, Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica. Venezia, 1840-1861. — Mejer O., Die heutige röm. Kurie, ihre Behörden u. ihr Geschäftsgang in Z. f. d. Recht u. d. Politik d. Kirche I. 54 ff. 1847

Bangen I. H., Die röm. Kurie, ihre gegenwärt. Zusammensetzung

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

u. ihr Geschäftsgang. Münster 1854. — Haine A., Synopsis S. R. E. cardinalium congregationum. Lovan. 1857. — Haine, De la cour romaine sous le pontificat de Pie IX. Louvain, 1859. — Bouix M., Tract. de curia romana. Parisiis, 1859. — Phillips Georg, Kirchenrecht (VI fere per totum; praesertim § 293, 294, 300). Regensburg, 1864. — Simor J., De sacris congregationibus et illarum auctoritate in Arch. f. k. KR., XI. 410 sqq., 1864. — Hinschius Paul, System des katholischen Kirchenrechts mit besonderer Rücksicht auf Deutschland (I. 373 ff.; 391 ff.; 448 ff.). Berlin, 1869 sqq. — Barbier de Montault, L'année liturgique à Rome. 1870. — Markgraf, Die röm. Kurie in ihrer Ausbildung u. Verfassung. Breslau, 1875. — Scherer, Handbuch des Kirchenrechtes (I. § 471, 485, 491, 505). Graz, 1886. — Grimaldi F., Les congrégations romaines. Guide historique et pratique. Sienne, 1890. — Baart, The roman Court. Milwankee, 1895. — Sägmüller J. B., Die Tätigkeit und Stellung der Kardinäle bis Papst Bonifaz VIII. Freiburg i. B., 1896. — Lega Mich., Praelectiones in textum iuris canonici de iudiciis ecclesiasticis (II. pag. 6 sqq.). Romae, 1896. — Lega M., De origine et natura sacr. romanar. congregationum in Anal. eccl. IV. 45 sqq. 1896. — Haller J., Uber d. Beamten d. Kurie i. 13 u. 14 Jhdt. in Quellen und Forschungen a. ital. Archiven I. 1. ff. 1898. — Wahrmund L., Die " Consuetudines curiae romanae „ in A. f. k. KR. LXXIX. 1 ff. 1899. — Sägmüller J. B., Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts (§ 89). Freiburg im Breisgau, 1900. — Lega M., De modo procedendi Congregationibus romanis communi in Anal. eccl. IV. 277 seqq. — Grisar Hartmann, Geschichte Roms und der Päpste im Mittelalter B. I. Freiburg i. B., 1901. — Russo Fortunato, La Curia romana nella sua organizzazione e nel suo funzionamento. Palermo, 1903. — Keller Sigmund, Die sieben römischen Pfalzrichter im byzantinischen Zeitalter (12 Heft der kirchenrechtlichen Abhandlungen von U. Stutz). Stuttgart, 1904. — Hergenröther-Hollweck, Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts[2]. Freiburg im Breisgau, 1905. — Baumgarten P. M., Der Papst, die Regierung und Verwaltung der Kirche in Rom. München, 1905. — Wernz Fr. Xav., Ius Decretalium (II. 619 sqq.). Romae, 1906. — Hilling Nikolaus, Die römische Kurie. Paderborn, 1906. — Hofmann, Die Neuregelung der röm. Kurie durch Pius X in Zeitschr. f. k. Theol. XXXIII. 198 ff. Parayre, La nouvelle organisation du gouvernement central de l'Eglise. Lyon, 1908. — Fourneret, La réforme de la curie rom. in

Le Can. cont. 33, 16, 65. — Choupin, in Études, 1908. 308, 642. — (F. H. Jacobson †) V. Schulte, Art. Kurie in Realencyklop. f. prot. Theol. u. Kirche³ 1896-1908. — (Buss) Kreutzwald, Art. Curie in Wetzer u. Welte's Kirchenlexicon² 1882-1901. — Susta, D. röm. Kurie u. d. Konzil v. Trient. Wien, 1909.

Sestini, Il maestro di camera. Firenze, 1623. — Catalanus, De magistro s. palatii Apostolici. Romae, 1751. — Marini G., Memorie istoriche degli Archivi della S. Sede. Roma, 1825. — Rasponi, De basilica et patriarchio lateranensi. Romae, 1656. — Galletti, Del primicero della Santa Sede apostolica e di altri ufficiali maggiori del sagro palagio Lateranense. Roma, 1776. — Galletti, Del vestarario della S. Romana Chiesa. Roma, 1758. — Conti Ott., Origini fasti e privilegii degli avvocati concistoriali. Roma, 1898. — Renazzi, Notizie storiche degli antichi Vicedomini del Patriarchio Lateranense e dei moderni Prefetti del Sagro Palazzo Apostolico ovvero Maggiordomi Pontefizj. Roma, 1787. — Cancellieri, Notizie sopra l'anello pescatorio. Roma, 1823. — Maubach, D. Kardin. u. ihre Polit. um d. Mitte d. XIII Jahrh. Bonn, 1902. — Sägmüller, Z. Geschichte d. Kardinalates. Rom, 1893.

I. — Introductio.

Quid Curia romana. Ratio constitutionis.

1. — " Antiqua romana Curia, quae totius pene orbis in temporalibus domina, triumphatrix atque regulatrix erat, ex duplici specie seu loco constituebatur; uno scilicet, in quo sacerdotes res divinas; altero vero, in quo senatus ac populus aliique magistratus publicas res humanas tractabant; isto Curiae vocabulo derivationem habente a curis publicis, quae in locis praefatis apud deos et apud homines, seu pro caelestibus ac terrestribus negotiis pro salute et conservatione reipublicae gerebantur; ideoque Curia ista, templum sanctificationis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput orbis, ara sociorum et portus omnium gentium a Cicerone in oratione pro Milone appellatur.

" Romanae autem reipublicae vel imperii istud Curiae vocabulum esse peculiare atque ab ea modernorum principum sedes residentiales illud mutuasse, nos docet illa, quae omnium historiarum antiquitate ac fide mater est ac magistra, sacra pagina veteris testamenti, dum de quamplurimis regum ac principum aulis agendo..., istud Curiae vocabulum forte adhibitum non legitur.

" Agendo vero de republica Romanorum, eorumque potentia, resque multas bene gestas enarrando in eodem libro Machabaeorum I occasione duplicis foederis inter eamdem rempublicam ac duces Machabaeos Iudam et Ionathan, huius vocabuli mentio habetur, quod scilicet eorum respective oratores Romam missi *introiverunt Curiam.*

" Quamvis autem illa in temporalibus potentissima prophana Curia romana, post imperii translationem in Graeciam totque barbarorum incursiones, evanuerit; attamen (ut s. Leo Papa admonet) tamquam per speciem phoenicis,

ex eiusdem romanae civitatis cineribus, alia in spiritualibus, maioris potentiae maiorisque existimationis, exorta est romana Curia christianae reipublicae, eiusque capitis summi Pontificis D. N. I. Ch. unici ac supremi vicarii, habentis totum mundum pro territorio, totumque humanum genus in spiritualibus ac in temporalibus habitu subiectum; adeo ut recte adaptetur prophetia Oseae super longe maiori gloria modernioris templi Hierosolymitani, quod materialiter inferius magisque depressum erat, quam antiquioris per regem Salomonem constructi, cuius absque dubio longe sumptuosior structura materialis erat, in sensu scilicet allegorico seu mystico, quod licet antiqua romana Curia belligera et triumphatrix, in temporalibus longe maior esset; attamen moderna christiana, seu caelestis, spiritualiter longe maioris potentiae et gloriae censenda sit.

" De ista vero Curia romana Papae in praesenti agitur, quae, sive in ipsa materiali civitate romana, sive in alia qualibet mundi parte sit, dum ibi Papa residet, suamque habet sedem, semper romana dicitur. Talis enim dicitur non ab huius civitatis praecisa localitate, sed ab origine, quod scilicet in ea beatus Petrus cathedram vel sedem constituit, ab Antiochena civitate illam transferendo, tamquam in loco, in quo totius orbis temporalis dominatio sedem habebat, ut ibi hoc maius imperium spirituale oriretur, atque (ut idem s. Leo Papa admonet) ea civitas, quae omnium errorum ac gentilium superstitionum mater ac metropolis erat, pietatis veraeque religionis mater ac metropolis efficeretur; quumque non ipsius civitatis materialis sed universae ecclesiae catholicae ac Papae Curia sit, idcirco non materialiter, sed formaliter Curia romana dicitur omnis locus, in quo Papa resideat, atque de ea leges, quae de Curia romana agunt, intelligendae veniunt. „

Ita doctissimus Cardinalis De Luca initium facit suo operi, quod inscribitur: "Relatio Romanae Curiae forensis „; hoc autem initium non minus decere hoc meum opusculum et hoc commentarium videtur.

Pontificia autem romana Curia comprehendit omnia ea *δικαστήρια*, quibus Romanus Pontifex utitur ad ea pertractanda et decidenda negotia sive contentiosa sive gratiosa, quae sive universam ecclesiam respiciunt sive particularem romanam ecclesiam, quamvis Curiae nomen in strictiori sensu ad priora tantum *δικαστήρια* non immerito restringatur. Hinc est, quod, quum Cardinalis De Luca in opere citato agat etiam de Cardinali Urbis Vicario et de aliis, quae episcopatum urbis concernunt, imo de quibusdam etiam, quae ipsum civilem Romani Pontificis principatum spectabant, constitutio haec " Sapienti consilio, „ cuius commentario initium facio, nonnisi ea *δικαστήρια* spectat, quae ecclesiam respiciunt universalem.

2. — Curia haec romana varias subiit vicissitudines, quas omnes praetereo, quum meum institutum praesens nullum aliud sit, quam commentarium edere circa novam constitutionem " Sapienti consilio „, quam Ss. Dominus Noster Pius X post tot alia suae sapientissimae activitatis monumenta, proxime elapso anno edidit ad hoc ut eidem Curiae novam praescriberet ordinationem, quae necessitatibus et adiunctis aetatis nostrae magis responderet. De hoc Romanum Pontificem, ut ipse nos monet in hac eadem constitutione episcopi plures ac sapientes viri, maxime vero S. R. E. cardinales, tum scriptis tum voce rogarunt. Quarum petitionum, quas tum apud praesentem Pontificem, tum apud eius decessorem sanctae memoriae Leonem XIII, illustres tot viri interposuerunt, hae praecipue fuerunt rationes, quas SSmus Dominus explicat, scilicet iurisdictionem singulis congregationibus tributam seu earum competentiam nec omnibus perspicuam nec bene divisam progressu temporis evasisse, quum " SS. Congregationum numerus, pro rerum ac temporum necessitatibus modo auctus est, modo deminutus; atque ipsa iurisdictio unicuique congregationi primitus attributa modo novis Romanorum Pontificum praescriptis, modo usu aliquo sensim

inducto ratoque habito, mutationibus obnoxia fuit; (1) nec non congregationes quasdam, his mutationibus intercedentibus, ad pauca tantum negotia expedienda redactas esse, alias vero negotiis evasisse obrutas.

---

(1) Prooem. ipsius constitutionis.

II. — Praecipuorum statutorum synthesis.

Animadversiones in praecipuas innovationes a constitutione inductas.

3. — Haec igitur praecipua ratio constitutionis est, Ss. Congregationum et pontificiorum tribunalium competentiam distinctam et certam facere, eam penitus tollendo iurisdictionis *cumulativam,* quae sensim sine sensu in ipsis introducta adeo nocebat negotiorum expeditioni. Quum autem hoc maxime vitare velit Pontifex, et periculum fuisset ut denuo ad hanc incertitudinem et confusionem deveniretur, si unicuique *δικαστηρίῳ* suae iurisdictionis limites determinare datum esset, hoc ipsum munus sapientissimus Pontifex uni congregationi attribuit, ut dicemus. Quod necessarium fuit, quia licet constitutio sapientissime et qua maiori fieri potuit claritate eos limites designaverit, impossibile tamen fuit omnes omnino incertitudines in praxi removere, tot ac tantis exstantibus Curiae negotiis.

4. — Praeter haec, quae ad constitutionem singularum congregationum, tribunalium et officiorum spectant, duo statuuntur in pontificia constitutione, quae respiciunt omnia et singula *δικαστήρια* iam constituta. Scilicet ante omnia praescribitur ut nil grave et extraordinarium ab his omnibus agatur, nisi prius singulorum moderatores idipsum Romano Pontifici pro tempore significaverint (2).

Alterum est, quod " sententiae quaevis, sive gratiae via sive iustitiae, pontificia approbatione indigent, exceptis iis, pro quibus eorumdem officiorum, tribunalium et congregationum moderatoribus speciales facultates tributae

(2) Ex constitutione ipsa in fine.

sint, exceptisque semper sententiis tribunalis S. Rotae et Signaturae Apostolicae de ipsarum competentia latis „.

In hoc autem habemus immutationem quamdam non parvi momenti relate ad antiquum ius: scilicet ante novam constitutionem valor decretorum seu decisionum alicuius S. Congregationis ex sequentibus principiis deducendus erat, quamvis alii canonistae maiorem etiam valorem et firmitatem his decisionibus tribuerunt.

Plura harum decisionum genera distinguebantur, prouti et nunc distinguuntur.

Quaedam enim continent interpretationem seu declarationem legis iam exsistentis, quaedam concedunt privilegia vel dispensationes, quaedam statuunt ordinationes quasdam exsecutorias seu administrativas ordinis universalis.

Quaedam antiquo iure praeterea dabantur tamquam sententiae iudiciales. Quoad sententias iudiciales eae iuxta doctores constituebant ius tantum inter partes contendentes; quare partes collitigantes ligabant, sed alios non respiciebant (*l. 2. quibus res iudicata etc. C.* [*VII. 56*]*; de sent. et re iud. X.* [*II. 27*]), hinc per se nullam habebant vim legum universalium. Wernz, *Ius Decr. 1. 146.* Imo quamvis huiusmodi decisiones magni habendae essent, non ligabant tamen iudices inferiores, qui non tenebantur eas sequi in iudicando, nisi ex repetitis decisionibus Sacr. Congregationum exortus fuisset usus forensis aut stylus Curiae, quem vocant, quique vim legis habet. Santi *in tit. 31. lib. 1. Decr. n. 52. sqq.* His nunc successerunt decisiones administrativae ordinis mere particularis.

Decisiones, quae continebant interpretationem alicuius legis dubiae et obscurae, non solum habendae erant tamquam interpretationes doctrinales magni momenti, sed etiam tamquam authenticae interpretationes; attamen et ipsae non videbantur habere vim legum universalium, nisi de mandato Pontificis expresse promulgarentur pro tota ecclesia, aut transissent in stylum Curiae. Ligabant vero

eos, quibus datae erant. — Cui assertioni adnotabant quidam canonistae, non contradicere decretum S. Congr. Rituum *in una Ord. Praed. 23 maii 1846. cum appr Pii PP. IX. (2916),* scilicet: " Decreta a S. R. C. emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editae (et scripto formiter editae dicuntur, quum subscriptae sunt a Sacr. Rit. Congr. Praefecto et Secretario, ac eiusdem sigillo munitae, *S. R. C. in Romana 8 apr. 1854.* [*3023*]) eamdem habent auctoritatem, ac si immediate ab ipso summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae „ (cfr. B. P. *I. 254*); nec opponi decreta S. Congr. de Prop. Fide, quibus statutum erat, decreta S. Congregationis, quotiescumque essent a Praefecto eiusdem firmata, a Secretario subscripta et sigillo munita, vim habere et valorem Constitutionis Apostolicae, ac ab omnibus et singulis inviolabiliter esse servanda. *S. C. P. F. 30 iul. 1652, 15 maii 1779.* — Nam quamvis ea omnia decreta haberent vim decretorum Pontificis, non ideo tamen censendae erant leges universales, quum et Pontifex dare possit leges non universales. Quare his decretis hae duae Congregationes videbantur his canonistis aequiparatae illis, quae Romanum Pontificem habent Praefectum, quaeque proinde dant leges, quae sunt vere pontificiae, quin tamen proinde sint semper universales, ut est ex gr. Congregatio S. Officii. Quare decreta S. Congr. Rituum et S. Congr. de Prop. Fide erant decreta pontificia, etsi edita fuissent non de expresso mandato Pontificis, neque ab eo essent specifice confirmata.

Omnes autem admittebant, decisiones interpretativas legis etiam non clarae a SS. Congregationibus datas vi alicuius praecedentis mandati specialis Romani Pontificis, aut quae ab eodem Rom. Pontifice fuissent specifice confirmatae, et ratione obiecti referebantur ad universam ecclesiam, habere vim legum universalium. Cfr. B. P., *loc. cit.* (*b*); Wernz, *loc. cit.*, *146*, *111* (*62*).

Decisiones, quae concedebant aliquod privilegium vel aliquam dispensationem, ex ipsa rei natura non habebant nisi vim particularem, scilicet valebant pro iis tantum, quibus concedebantur.

Decisiones autem, quae statuebant ordinationes quasdam exsecutorias seu administrativas ordinis universalis nonnisi de speciali mandato R. Pontificis dabantur, qui suis Congregationibus aliquando utebatur ad dandas suas leges. Habebant autem vim legis particularis seu generalis, prout particulares tantum personas aut ecclesias, aut ecclesiam universam respiciebant.

Nunc omnes decisiones SS. Congregationum egent, ut diximus, pontificia approbatione. Ex hoc tamen non est deducendum, omnes nunc fieri decisiones pontificias; approbatio enim, quae requiritur et quae de facto datur, non est approbatio quaedam specifica sed tantummodo approbatio communis, quae proinde relinquit decisionem approbatam in sua prima natura. Verum exinde sequitur revocatam esse dispositionem antiquo vire vigentem, secundum quam, ut supra annotavimus, responsiones authenticae s. Congregationis Rituum aut sacrae Congregationis de Prop. Fide, quoties erant subscriptae a Praefecto et a Secretario et munitae respectivo sigillo, eamdem vim habebant ac si immediate a Romano Pontifice promanarent.

5. — Praeter haec, quae respiciunt valorem decisionum, quae ab institutis seu *δικαστηρίοις* aut officiis generice sumptis S. Sedis promanant, alia sunt, quae ipsis omnibus secundum Normas communes, quae constitutae sunt in " *Ordo servandus in Ss. Congregationibus, tribunalibus, officiis Romanae Curiae* „, sunt communia.

Et ante omnia distinctio introducitur inter varios officiales seu ministros (1), quae quidem antea quoque de facto vigebat, ipsa natura rerum hoc postulante, sed non

(1) *Normae comm.*, c. 1, n. 1.

in omnibus *δικαστηρίοις* de iure et quoad nomen exsistebat. Est enim nunc duplex administrorum genus, seu coetus, maiorum scilicet et minorum. Illi libere a Romano Pontifice eliguntur per litteras eisdem missas ab Emo Cardinali a Secretis Status; hi, sepositis quibuscumque suffragationibus gratuitis seu intercessionibus, quarum rationem nullam, si intercedant, habendam iubet Pontifex, certamine seu concursu interposito et duplici adhibito scrutinio praestantiores diiudicati eliguntur per litteras eisdem missas a Cardinali eiusdem *δικαστηρίου* praeside, contra posita subscriptione more rescriptorum; aut, si de s. Rota agatur, per litteras Decani, subscripto nomine alicuius notarii.

Patet quod praeter officiales maiores ac minores necessarii sunt etiam deservientes quidam. Horum nominatio apud s. Rotam spectat ad Collegium Auditorum, apud reliqua officia ad suum cuiusque praesidem Cardinalem, proponentibus maioribus administris.

6. — Praeter haec, quae respiciunt ordinariam nominationem officialium, alius statutus est canon magni momenti, ut scilicet in uno eodemque viro munia cumulare non liceat (1). Quod tum maxime iustitiae distributivae consonum est, tum iuvat ut obligationes et munera officiis variis adnexa melius exsecutioni mandentur. Hoc autem adeo urgetur in Normis communibus, ut omnibus his administris vetitum sit sive in suo sive in alieno officio munus assumere agentis, procuratoris aut advocati, uno excepto munere procuratoris aut advocati in causis sanctorum, quod permittitur administris aliorum *δικαστηρίων*, exceptis tantum administris s. Congregationis Rituum. Quae dispositio maxime prudens innititur tum rationibus supra indicatis, tum periculo ne talis administer in bonum suorum clientum sive auctoritate sua sive notitiis, quae ratione officii habet, abutatur.

---

(1) *Normae comm*, c. 2, n. 13.

7. — Quoad moderationem et directionem secretariae, protocolli et tabularii, quae in officio quovis tanti est facienda, excepta Rota, ea pertinet ad praelatum, qui alter est a cardinali Praeside (1). In tribunali autem s. Rotae ea spectat ad Decanum, eoque impedito ad Auditorem seniorem. Attamen in rebus maioris momenti, seu quando agitur de aliquo extraordinario consilio capiendo, Decanus Rotae debet negotium deferre ad universum collegium Auditorum, praelati vero aliorum *δικαστηρίων* ad Cardinalem praesidem.

Singula *δικαστήρια* seu officia debent conficere et retinere librum *Rerum notabilium* (2), in quo rite indicentur nominationes et dies initi muneris tum a Cardinalibus, qui eidem praeficiuntur aut Congregationem componunt, tum a consultoribus, tum a variis administris sive maioribus sive minoribus; item adnotentur datum iusiurandum, cessatio ab officio et rescripta pontificia, si qua forte fuerint, quae circa cuiusque officii competentias aliquam induxerint immutationem.

8. — In singulis *δικαστηρίοις*, excepta S. Rota et Signatura apostolica, *congressus* constitutus est, (3) qui componitur administris maioribus, praeside Cardinali, qui *δικαστήριον* regit. Ad hunc *congressum* spectat expedire minora negotia, maiora vero reservare discussioni pleni conventus uniuscuiusque officii, et ad eam apte disponere.

9. — Rem melius determinant *normae peculiares cap. 2*, ex quibus plenae Congregationi, ut dicitur, seu communi iudicio Patrum Cardinalium, si de Cardinalium Congregationibus agitur, reservata est solutio dubiorum omnium aut quaestionum de iure interpretando; examen

---

(1) *Normae comm.*, c. 1, n. 5.
(2) *Normae comm.*, c. 1, n. 2.
(3) *Normae comm.*, c. 1, n. 3.

controversiarum ordinis administrationem ac disciplinam spectantis vel per se vel ob adiuncta graviorum; disceptatio de gratiis ac facultatibus maioris momenti, iisdemque vel per se vel ratione modi insuetis; acta denique omnia publici ordinis atque communis, sive praeceptiones eae sint sive praescriptiones.

Ad *Congressum* e contra pertinet praeter munus praeparandi ea, quae plenae Congregationis iudicio subiicienda sunt, ut diximus, exsecutio eorum, quae a Patribus Cardinalibus fuerunt deliberata, postquam haec Summi Pontificis retulerunt approbationem; eadem aptare similibus casibus, ubi tamen res sit prespicua, obvia et nulli controversiae obiecta: largiri pro potestate a Pontifice Maximo facta facultates, gratias, indulta, quae consueta sunt et facilia; providere ut quae in *δικαστηρίῳ*, seu officio geruntur omnia rite procedant secundum Const. *Sapienti consilio* et normas tum communes tum peculiares eidem adiectas.

10. — Pariter maxime attendenda est praescriptio constitutionis, ex qua antiquum ius immutatum ex parte est. Scilicet quaecumque gratiae ac dispensationes a S. Sede concessae non vitiantur ex eo quod ii, quibus concessae sunt, censura forte sunt irretiti. Una est exceptio pro iis scilicet, qui nominatim excommunicati sint aut ab ipsa S. Sede nominatim pariter a divinis suspensi. Aliis omnibus quibuscumque, censuris etiam irretitis, gratiae hae ac dispensationes concessae sunt ratae ac legitimae (1).

11. — Maxime commendatum praeterea omnibus est officialibus, iis praesertim, qui praesunt (2), ne diu negotia iaceant. Quamvis enim multiplicitas negotiorum, quae in Curia habentur, impediat saepe ne cito res pertra-

(1) *Normae pecul.*, cap. 3, n. 6.
(2) *Normae pecul.*, cap. 6, n. 1.

ctentur, imo hoc saepe impediatur etiam a gravitate negotiorum et a maturitate, qua S. Sedes procedit in suis decisionibus, curandum tamen erat, ne iustum daretur fundamentum querelis recurrentium. Non raro quidem audiuntur circa hoc querelae, quae summari possunt in illo notissimo: *Roma urbs est aeterna.* Quae certe querelae immerito fiunt et ab iis generatim, qui romanam Curiam nonnisi nomine cognoscunt, eamque concipiunt quasi curiam quamdam dioecesanam haud multis gravatam negotiis; et ab iis, qui non intelligunt quam caute in his omnibus procedatur, quum praesertim negotia, quae ad romanam Curiam deferuntur, ordinarie gravissima sint. Quare in probrum vertitur illud, quod in Curiae laudem esset vertendum. Attamen caveri profecto debuit, ut id, quod sive ex necessitate sive ex rationabili cunctatione procedere debet, non ex incuria aut negligentia procederet.

III. — De discrimine inter res ordinis iudicialis et administrativi.

Explicatio responsionis S. C. Consistorialis 28 ian. 1909.

12. — Praecipua prae omnibus et maximi momenti immutatio, quam induxit nostra constitutio, antiquum ius potius instaurans, quam abrogans, ea est ut omnimoda distinctio sit introducta inter eas res, quae via administrativa seu disciplinari, et eas, quae iudiciaria via tractandae sunt (1). Nec solum distinctio habetur quoad res alio vel alio modo tractandas, sed etiam quoad tribunalia vel alia *δικαστήρια*, a quibus eaedem videndae sunt et cognoscendae.

Res iudiciario modo tractandae in Curia a S. Rota romana vel a Signatura apostolica unice sunt cognoscendae. Res vero, quae agendae sunt via administrativa seu disciplinari, a congregationibus et ab officiis aliis sunt dirimendae pro cuiusque ambitu competentiae.

In primis de distinctione agendum est inter res expediendas via administrativa seu disciplinari, postea de competentia singulorum *δικαστηρίων*. In quo quidem nemo ignorat, qui in re iuridica licet parum versatus sit quot et quantae intercedant quaestiones et disceptationes inter iuristas.

Ad hoc autem quo meliori fieri possit modo explendum, rem prius perpendam in genere, in ordine scilicet ad quamcumque societatem perfectam, extensurus postea ea, quae asserenda videbuntur, ad ipsam ecclesiam, quae et ipsa societas perfecta est, et ad ius nostrum.

In quacumque societate perfecta haec ante omnia invenimus. Status seu persona illa moralis, quae integram

---

(1) *Constitutio*, II, 2.

repraesentat communitatem et a sociis probe distinguitur, auctoritatem quamdam habet, quae definitur partim a iure naturae hominum consociationem exigente, partim a propria illius reipublicae constitutione.

Status proinde est organismum quoddam, cui sua sunt iura, sua debita. Iura praecipua consistunt et summari quasi possunt in auctoritate (Status-auctoritas), quae exsurgit ex eius naturali fine, qui est perducere socios (Statum-societatem) ad consecutionem finis socialis.

Quare Status de necessitate et ex ipsa eius natura dicit finem quemdam ultimum consequendum, qui dividi potest in plures fines secundarios se invicem et mutuo perficientes. Ad hunc finem necessaria sunt media, quae tum ex iure naturae tum ex eius propria constitutione seu ex magna eius charta determinantur. Ad finis consecutionem, ad usum mediorum necesse est Statum agere. Praeter Statum igitur consideratum in sua constitutione iam perfectum habemus etiam Statum considerandum in sua activitate ad consecutionem sui finis. Activitas haec comprehendit per se omnia, quae Status agit ad consequendum finem et proinde ipsam quoque potestatem legislativam eiusque exercitium, unice excludendo ea, quae pertinent ad eius constitutionem, quum non concipiamus Statum agentem nisi iam constitutum. Considerare tamen Statum possumus non solum in quantum constitutus est, ut ita dicam, essentialiter, sed etiam in quantum eius constitutio importat et comprehendit leges quoque ab auctoritate sociali latas ad obtinendum finem. Etiam in hac consideratione concipere debemus Statum exeuntem tandem in actum secundum, si ita loqui fas sit, seu in applicationem aut exsecutionem suarum legum. Praeter igitur potestatem quamdam legislativam concipimus in Statu potestatem aliam exsecutivam.

Potestate sua exsecutiva Status tuetur iura civium et illud, quod sociorum interest, promovet eique auxilium fert. Hi duo fines, tutela scilicet iurium sociorum et de-

bitum assistentiae, quo Status sociis, ut suam exerceant activitatem, fert auxilium et exstimulat eorum activitatem seu *ἐνεργείας*, integrant unicum et ultimum eius finem.

Patet autem quomodo his duobus finibus plura comprehenduntur, quum in tutela civium, etiam in quantum unice consideratur in sui exsecutione, contineatur exercitium quoque potestatis iudiciariae tum prout dicit factum ius dicendi inter cives, tum prout importat punitionem sociorum rebellium, quo in sensu eam coactivam dicimus. Haec omnia pertinent igitur ad potestatem Status exsecutivam, non tamen ad administrativam, quae proinde ad exsecutivam se habet sicut species ad genus.

Tum iudex tum publicus administrator sunt igitur exsecutores legum, sed cum hoc discrimine, quod ille exsequitur legem *iudicando*, hic autem *faciendo* seu *agendo*. Illi observantia legis est finis, imo unicus finis; huic est unice limes iuridicus seu terminus ad eius actionem, quae tendit ad finem publicae utilitatis. Iudex dirimit conflictus, qui exsurgunt inter cives in exercitio iuris controversi; publicus administrator removet obstacula facti, quae exsurgunt in observantia legum, vel impedit ne exsurgant remediis praeventivis, vel promovet activitatem civium hoc aut illo modo.

Hinc provisiones iudiciariae provocantur semper sive a partibus contendentibus, sive a publico officiali, cui incumbit onus tuendi leges earumque violationem denunciandi ut ordo instauretur; provisiones administrativae sanciuntur plerumque ab ipso administratore motu proprio. Quare iudex ius dicit, si adeatur; publicus administrator suo marte necessitatibus publicis providet, quae quum adeo variae sint et saepe moram non patiantur, procedit ipse maiore sollicitudine et maiore libertate, quam iudex.

Hinc administratori suae sunt potestates seu facultates *discretionales*, quae dicuntur, ipsi omnino necessa-

riae, quum eius provisiones fundentur potius in rationibus facti quam in strictis rationibus iuris.

Hinc provisiones administrativae semper sunt revocabiles non solum a superiore auctoritate administrativa, sed etiam ab ipsa auctoritate, a qua emanarunt: sententiae iudicis non item, quia iudex postquam sententiam dixit, suo munere functus est.

Provisio tamen administrativa non debet esse arbitraria, sed ipsis legibus accomodanda est, quibus ea regitur. Illegitima proinde erit provisio administrativa, quae non contineatur intra limites legis, et proinde nullius omnino valoris, ut esset, si quando publicus administrator egrederetur limites potestatis ipsi factae aut aliquid contra leges decerneret.

Nec solum potest esse illegitima, sed etiam administrato cuidam damnum inferre potest provisio administratoris. Hoc autem accidere potest etiamsi provisio ipsa legitima sit seu intra limites legis contineatur.

Aliis verbis potest publicus quidam administrator provisionem aliquam faciens aut usurpare potestatem, quam non habet, excedendo limites potestatis sibi traditae; aut abuti potestate, quam habet. Brevius, administrator in suo officio peccare potest vel per usurpationem vel per abusum. Cuiusdam erit hoc factum diiudicare, iudicisne aut superioris potestatis administrativae?

Et supposita in societate distinctione vigente inter potestatem exsecutivam seu administrativam et iudiciariam, logice deducendum est iudicem videre quidem debere de legitimitate provisionis administrativae, non autem de eius merito; iudicare scilicet posse an administrator nullam fecerit provisionem excedendo limites suae potestatis, non autem an sua potestate abusus sit. Iudex enim videre potest de iniuria, quam quis alteri infert, seu de laesione iurium; haec autem locum non habent, quando quaestio est de provisione administrativa legitima, seu de provisione, quae non excedit limites potestatis ipsius publici

administratoris; qui enim iure suo utitur, nemini facit iniuriam. Hoc autem exprimunt etiam iuristae hac alia formula: iudex videt de laesione alicuius iuris, non autem de laesione alicuius interesse.

Possum enim habere aliquod interesse, quod tamen non sit aliquod ius; patet enim quod omne ius dicit semper aliquod interesse, sed non omne interesse dicit ius. Neque enim potest esse ut aliqua societas possit tueri ea omnia et singula, ad quae quis potest interesse habere. Quaedam tantummodo sunt, quibus societas tuitionem suam praestat, eaque sunt, quae muniuntur actionibus, quaeque iura dicuntur.

Si quando igitur ex provisione administrativa aliquod mihi damnum *iniuste* provenit, tunc ad iudicem recurrere possum, quia tunc semper possum experiri actionem contra damnificatorem; sed iniustitia haec supponit administratorem non esse usum iure suo et illegitimam proinde provisionem fecisse. Si hoc non detur, sed verificetur tantummodo laesio alicuius mei *interesse*, tunc non ad iudicem potero habere recursum, sed ad superiorem auctoritatem administrativam.

Nec dicendum provisionem administrativam, quae laedat aliquod meum interesse, eo ipso illegitimam dicendam esse, quia secus esset concludendum leges permittere administratori publico laesionem alicuius alieni interesse seu actionem quamdam abusivam. Hoc enim non rite deducitur; logice deducitur tantum contra hos actus leges non praebere suam tuitionem. Hoc autem requiritur ab ipso bono publico, tum quia administratores egent in ipsum societatis bonum aliqua latitudine in exercitio suae potestatis; tum quia subditi ad bonum commune necesse habent et debent alicui suo interesse renuntiare seu, ut dicitur, illud sacrificare; tum quia etsi non concedant leges actionem, quae in iudicio experiri possit, concedunt tamen recursum ad superiorem potestatem administrativam.

Haec in genere sint dicta de quavis societate, in qua non exsistat confusio iurisdictionum nec unica sit iurisdictio, ut dicitur. Ea nunc facile applicare possumus ad ius nostrum, praesertim novissimum. Cfr. Francone. *Intr. al dir. pubbl. ammin.;* Orlando. *Princ. di dir. amm.*

13. — In ecclesia unitas iurisdictionis verificatur in gradibus inferioribus et in supremo quoque gradu, idest in ipso Romano Pontifice, si eius iurisdictionem plenam et supremam in ipsa eius persona consideremus. Sed si examinemus organa, quibus Rom. Pontifex utitur ad iurisdictionem suam exercendam, facile videmus, saltem secundum novissimum ius, ad quod considerationem nostram perstringimus, non dari hanc unicam iurisdictionem, sed dari omnimodam quamdam distinctionem inter iurisdictionem iudiciariam et iurisdictionem seu potestatem administrativam. Ea instructa sunt tribunalia, S. Rota et Signatura Apostolica; hac gaudent Ss. Congregationes et forte quaedam Officia Curiae.

Episcopus autem quilibet est iudex simul et administrator in sua dioecesi; et tamquam iudex habet plures iudices superiores, archiepiscopum scilicet saltem et S. Rotam; tamquam vero administrator unice habet superiores Romanas Congregationes.

A sententia igitur episcopi recursus datur seu appellatio ad archiepiscopum vel ad Rotam; ab eius vero provisione administrativa seu decreto, si possit contra eum actio institui, idest si agatur de decreto illegitimo, etiam ad archiepiscopum vel ad S. Rotam; si actio denegatur, quia non agitur de laesione alicuius iuris sed solum de laesione cuiusdam interesse unice ad Ss. Congregationes.

Si autem ad applicationes quasdam practicas descendere placeat, videtur mihi nemo posse coram S. Rota episcopum convenire, eo quod ipsum spreverit in aliqua nominatione ad officia seu munia ecclesiastica in dioecesi, vel eo quod ipsum removerit ab officio aliquo ad nutum

vel eo quod a munere praedicandi aut confessiones excipiendi suspenderit aut amoverit, etc.: e contra nemo posse apud S. Congregationes recursum interponere contra episcopum, qui eum non instituerit in beneficio ecclesiastico, ad quod legitime fuerat praesentatus, vel non nominaverit, quum sibi hoc ius esset ex tabulis fundationis, vel eum canonicis subiecerit poenis etc.

Quum autem in casibus practicis non raro inveniri possit difficultas et dubium, num de laesione iuris agatur, an potius de laesione meri cuiusdam interesse, hinc sapientissime in Normis peculiaribus cap. 1°, n. 3, statutum est:

In expostulationibus ad S. Sedem, si libellus ad S. Rotam delatus est, Decanus cum duobus Auditoribus primis; si ad aliquam Congregationem ordinarius eiusdem *congressus*, de quaestionis natura videbunt, utrum res administrationis ac disciplinae tramite tractanda sit, an summo iure agendum.

Horum primum si accidat, iudicium quaestionis reservatur S. Congregationi, cui competit ad normam Constit. *Sapienti consilio*. — Alterum si fiat, *quaestio ad proprios iudices ac sua tribunalia deferatur* ad normam iuris communis definienda, salvo semper proprio Signaturae Apostolicae procedendi modo.

Ex hac legis praescriptione evidenter habemus, quid Sacrae Congregationes peragere debeant, si quando in casu particulari Congressus iudicaverit causam aliquam iudiciario ordine pertractandam esse. Scilicet debet eam definiendam deferre ad proprios iudices ac sua tribunalia. Quinam autem huiusmodi iudices sint, quaenam haec tribunalia, deducendum est sive ex novissimis his legibus, sive etiam ex antiquiore iure adhuc vigente.

Porro ex vigente iure iudex primae instantiae est ordinarius loci, secundae metropolita, tertiae Rota Romana. Ad hos iudices, ad haec tribunalia deferenda est causa a S. Congregatione.

Quum autem secundae instantiae tribunal pro causis, quae in tribunali emi card. Urbis Vicarii iudicatae sunt, sit S. Rota, ad eam eas causas deferre debebit.

Imo quum S. Rota diiudicare debeat causas, in quibus interposita fuit appellatio ad S. Sedem, in quocumque gradu eae inveniantur, has omnes pariter ad S. Rotam deferet Congregatio.

Quum vero S. Rota in prima instantia non sit tribunal competens nisi pro iis causis, quae sive motu proprio sive ad instantiam partium Romanus Pontifex ad suum tribunal avocaverit et S. Rotae commiserit, causas, quas partes volunt iudicandas ab ipsa S. Sede in prima quoque instantia, S. Congregatio ad S. Rotam remittere non debebit nisi facto verbo cum SSmo, de cuius speciali auctoritate fiet commissionis rescriptum.

Quod si causa aliqua, quae integra adhuc est et in nullo adhuc tribunali acta deferretur ad S. Congregationem, quin adderetur explicita petitio, ut, omissis tribunalibus inferioribus, statim agitetur apud Romanam Curiam, prudenti arbitrio ipsius S. Congregationis remissum mihi videtur iudicare, an ex circumstantiis et ex ipsa delatione causae ad S. Congregationem existimari debeat implicitam huiusmodi petitionem adesse, etsi desit explicita; quo in casu, facultate a SS. Dno sibi facta, deferet eam S. Congregatio ad S. Rotam.

Quum autem delationes harum causarum in prima instantia ad ipsam S. Sedem non debeant ex mente iuris ordinarie fieri, sed si nulla habeatur ratio sufficiens res pertractanda prius sit apud ordinaria tribunalia, hinc est, quod Constitutio " Sapienti Consilio „, quum agit de Sacra Congregatione Sacramentorum loquens de causis, quae iudiciario ordine tractandae iudicantur, eas ad S. Romanae Rotae tribunal remittendas dicit, mentione nulla facta tribunalium inferiorum. Nam generatim " ad ea potius debet aptari ius, quae et frequenter et facile, quam quae perraro eveniunt „ (*l. 5, tit. cit. D.*); et " ex his, quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur „ (*l. 4, tit. cit. D.*); quamvis aliquando, quum legislator velit magis peculiares normas circa aliquid sta-

tuere, non solum ordinarios casus sed et extraordinarios aut rariores contemplatur. Ita factum mihi videtur in locis citatis Constitutionis " Sapienti consilio „ et Normarum peculiarium.

Idem plus minusve dicendum de iis, quae in citata constitutione dicuntur de S. Congregatione Concilii, ubi praeterea adnotandum est, non dici S. Congregationem debere deferre causas quasdam ad S. Rotam, sed, statuta generalibus regulis competentia S. Congregationis, monet Constitutio generali omnino monito ea, quae non in linea disciplinari aguntur, ad S. Rotam deferenda esse; scilicet ab omnibus indiscriminatim, a partibus seu a contendentibus in primis, postea etiam ab ipsa S. Congregatione, si quando contendentes ex inscitia aut imperitia huiusmodi causas ad eam deferrent, semper tamen spectando accurate limites competentiae ipsius Rotae, quales in Lege propria definiuntur, quemadmodum postea, ni fallor, haec omnia explicantur apertius in Normis peculiaribus.

Et haec omnia concordant cum iis, quae emi Patres S. Congr. Consistorialis respondenda iudicarunt ad sequens dubium sibi propositum: " Utrum causae, quae formali sententia saltem primi gradus carent et ad Sacras Congregationes delatae sunt, remitti possint iure proprio ab ipsis Sacris Congregationibus ad S. Rotam, an potius id ipsis liceat per rescriptum commissionis de mandato Sanctissimi. „ Responderunt enim Patres emi: " Exceptis causis dispensationis super matrimonio rato, quas S. Congregatio de Sacramentis potest iure proprio remittere ad S. Rotam, ut de facto inconsummationis videat, negative ad primam partem; affirmative ad secundam, cauto ut in commissionis rescripto normae praefiniantur, quibus processus, si deficiat, instruatur „. *S. C. Cons. 28 ian. 1909.*

IV. — De aliis dubiis a S. C. Consistoriali resolutis.

Animadversiones in decretum 3 iun. 1909.

14. — Quum S. Congregatio Consistorialis alias quoque dederit decisiones circa varias competentias, iuverit, antequam ad dicendum procedam de singulis congregationibus, tribunalibus et officiis, eas hic in parte generali referre et pro posse illustrare. Postea non aptum invenirent locum.

Porro S. Congregatio Consistorialis die 3 iunii 1909 quatuor dubia suo subiecit examini et pro sua sapientia resolvit.

Ea igitur divisim referam.

Primum dubium fuit: " Utrum restitutio in integrum adversum sententiam alicuius S. Congregationis editam ante constitutionem *Sapienti consilio* sit concedenda ab ipsa S. Congregatione, quae sententiam tulit vel a Sacra Rota, vel ab Apostolica Signatura „. Responsio autem haec fuit: " Ab Apostolica Signatura, de commissione Sanctissimi. „

Quam recte haec decisio data sit patebit ex sequentibus.

15. — Principium est in utroque iure absque ulla dubitatione admissum, restitutionem in integrum contra sententiam alicuius iudicis concedi non posse nisi a maiore iudice.

Ulpianus iam, prout habemus in lege 18 de minoribus etc. D. (IV. 4), aiebat: " Minor autem magistratus contra sententiam maiorum non restituet „. Quod quidem etiam in iure nostro receptum esse, omnes tradunt canonistae, hoc idem unanimiter docentes et rationem afferentes: " Siquidem minori non est iurisdictio in maiorem, adeoque con-

veniens non est, ut per illum huius sententia rescindatur „ ut ait Reiffenstuel in tit. 41 lib. 1, Decr. IV, 19.

Quare ad intelligendam dubii solutionem necesse est videre an S. Rota Romana aut Apostolica Signatura dici revera possint et sint maiora tribunalia in comparatione ad S. Romanas Congregationes.

16. — Et incipiamus a S. Rota.

Hoc porro *δικαστήριον* quod " inter illos Romanae Curiae iudices, qui in forma iudiciali causas contentiosas cognoscunt ac decidunt, primam ac maiorem figuram facit „ ut loquitur Card. De Luca in sua " Relatio Rom. Curiae forensis „ disc. 32. n. 1., certe tamen inferius est sacris Romanis Congregationibus. Quod constat tum ex eo, quod S. Rota Romana collegium sit praelatorum, etsi maxime conspicuorum Curiae, sacrae vero Congregationes collegia sint S. R. E. Cardinalium; tum ex eo quod magis proprie videantur dici Congregationes nomine Romani Pontificis procedere, quam ipsa Rota, de qua imo hoc affirmari posse videtur omnino negandum. Quamvis enim actus, qui a Ss. Congregationibus procedunt, non possint dici actus pontificii — quum plerumque de facto a Pontifice ipso approbantur et confirmantur; nemo autem actus suos approbat proprie et confirmat —, sed imitentur potius actus alicuius delegati, qui proinde ab actibus delegantis probe distinguuntur; sunt tamen actus, qui vice et nomine Pontificis prodeunt, quemadmodum deduci posse videtur ex ipsa historica earum origine et evolutione, quum successerint consistorialibus illis conventibus, in quibus Cardinales suum consilium dabant votumque pandebant Romano Pontifici de rebus ad gubernationem ecclesiasticam spectantibus easque cum ipso Summo Principe decidebant.

Haec de s. Rota dici nullo modo posse videntur. Sententiae enim, quas fert, ut patet ex Lege propria, tales sunt, quae non solum admittunt restitutionem in integrum

ab Apostolica Signatura, sed corrigi etiam possunt ab Auditoribus ipsis in diverso turno.

Quum igitur s. Rota minus nobilis sit quam S. Congregationes, non potest certe contra iudicatum alicuius ex ipsis in integrum restituere.

Et in hoc confirmamur exemplo veteris Signaturae iustitiae et alterius Signaturae gratiae. Nam, ut advertit De Luca l. cit. disc. XXXI, quamvis Signatura iustitiae erecta fuerit tamquam tribunal, quod vice ac nomine Papae regeretur per Cardinalem eius praefectum, pro omnibus utriusque pontificiis et temporalis principatus ac etiam particularis episcopatus urbis causis et negotiis tam spiritualibus quam profanis, pro quibus Principem adire oportet, ad effectum committendi causas appellationis vel restitutionis in integrum etc., quibusdam tantum causis exceptis; plura tamen Curiae tribunalia huic tribunali Signaturae non subiacebant, ut sunt, ait De Luca l. c. n. 54, omnes Congregationes Cardinalium, quibus addit tribunal Camerae et tribunalia Camerae subordinata nec non Cardinales, quibus non diriguntur commissiones, nisi signatae manu Pontificis, omnesque alii iudices, quibus eadem commissio signata manu Papae directa esset, quamvis isti omnes subiacerent alteri Signaturae gratiae. Quare si hoc valebat de Signatura iustitiae, quae tamen vice ac nomine Papae regebatur a Card. Praefecto, multo magis de s. Rota dicendum est, de qua, ut adnotavi, idem asseri non posse videtur.

Nec obstat, quod Romanae Congregationes subiacerent Signaturae gratiae. Nam quamvis in multis utraque Signatura conveniret, in multis tamen et substantialibus discrepabat. Signatura enim gratiae coram Papa agebatur, praesentibus Cardinalibus et Praelatis multis, quorum quidam votantes erant, sed eorum votum consultivum tantum erat, sententia autem a Papa immediate dabatur, quod in Signatura iustitiae locum non habebat; ex quo consequens erat ut Signatura iustitia teneretur rescribere

prout de iure, Signatura autem gratiae posset etiam contra ius rescribere aut illi derogare.

Ex quibus omnibus evidenter patet, quomodo intelligendum sit illud, quod de s. Rota dicitur in can. 14, § 4 Legis propriae, idest:

> Videt quoque de recursibus pro restitutione in integrum a sententiis quibuslibet, quae transierint in rem iudicatam et remedium invenire non possunt apud iudicem secundae instantiae iuxta tit. de restitut. in integrum; dummodo tamen non agatur de re iudicata ex sententia S. R. Rotae, et in his iudicat tum de forma, tum de merito.

Scilicet haec omnia procedunt, dummodo non infringant contra generalia iuris principia; inter quae illud est, quod inferior non restituit contra sententiam superioris.

Et hoc multo magis elucet ex alia dispositione Constitutionis " Sapienti consilio „. Nam, ut scite animadvertit ipse De Luca in disc. XLVII de iudiciis n. 8, per se non repugnat quod tribunal inferius declaret nullitatem sententiae aut incompetentiam iudicis per se superioris, qui in aliqua causa sententiam dixit. Audiantur eius verba: " Quinimo, ubi resolutiones (ab aliqua S. Congregatione) prodierint, si revera adest defectus iurisdictionis et incompetentiae, quia nempe indebite una partium post iam introductam causam in forma iudiciaria coram iudice competenti aliquam Congregationem adierit, sive quod sit causa, quae de sui natura exigat processum et telam iudiciariam et non accedat consensus alterius partis, ac propterea Congregatio sit incompetens, atque non possit in ea causa manus apponere iuxta dictam declarationem eiusdem Sixti V, tunc non videtur quid prohibeat, quin Signatura iustitiae manus apponere valeat remittendo causam iudici competenti, ad quem iuridice pertineat, implicite circumscribendo Congregationis resolutiones, quoniam non est cognoscere de iustitia vel iniustitia resolutionum, neque

iurisdictionem ac superioritatem exercere cum ipsa S. Congregatione, sed cum ipsis partibus contendentibus et cum illa praesertim, quae indebitum habuit recursum ad iudicem incompetentem, cuius factum proinde quoad ipsum recurrentem haberi debet pro infecto, non curata dignitate vel maiestate illius, ad quem fiat recursus, quoniam attenditur ipse actus ac persona, quae illum procurat, non autem illa, quae facit; ideoque si pendente lite coram iudice quamvis pedaneo et inferiori collitigans recurrat ad magnum Principem vel magnum magistratum incompetentem, a quo provisionem extorqueat, poterit ille iudex inferior declarare hunc actum attentatum, neque exinde dici potest, quod ipse exerceat iurisdictionem et potestatem cum illo magno principe vel magno magistratu, quoniam revera illam exercet cum proprio subdito; multo igitur magis id fieri potest per Signaturam iustitiae „. Porro hoc, quod ex iuris tenore denegatum non erat Signaturae iustitiae, cui tamen inhibita erat restitutio in integrum contra iudicata Congregationum, inhibitum e contra fuisse videtur S. Rotae, quum in nova constitutione de S. Congregatione consistoriali dicatur:

Huius Congregationis erit, in conflictatione iurium, dubia solvere circa competentiam Sacrarum Congregationum.

Ceterum ea ipsa, quae de Rota in Lege propria traduntur, et superius citavimus, si probe intelligantur, idem tradunt, et confirmant. Agitur enim in Lege propria de sententiis, quae transierint in rem iudicatam et proinde non possint invenire remedium apud iudicem secundae instantiae; iudicata autem Ss. Congregationum, etsi vocari possint sententiae, formaliter tamen sententiae non sunt, si excipias aliquibus in casibus S. Congr. S. Officii; quo tamen in casu agitur de causis maioribus ratione obiecti, quae, quemadmodum a competentia S. Rotae subtrahuntur, ita subtrahi dicendae certo sunt ab iis sententiis quibuslibet, contra quas Rota in integrum restituit.

Quod autem iudicata Ss. Congregationum non sint vere sententiae patet, quia sententia est iudicialis decisio rei controversae per pronuntiationem iudicis rite facta, liti finem imponens, eaque supponit iudicium et pro obiecto habet negotium stricte iudiciale. Ss. autem Congregationes iudicialiter non procedunt, sed extraiudicialiter sive circa res gratiae sive circa causas ordinis spectantis disciplinam et administrationem; de quibus in *Normis peculiaribus,* cap. 3°, n. 7, ea statuta sunt, quae ordinem iudicialem omnino excludunt. Dicitur enim:

In causis apud S. Congregationes administrationis ac disciplinae tramite agitandis, remota litis contestatione, exclusa auditione testium nullisque scriptis patronorum receptis habebitur quaestio.

Ex quibus patet, nec iudicata Ss. Congregationum esse veras sententias, nec ex iis proinde oriri posse *res iudicatas* in sensu iuris, contra quas detur restitutio in integrum.

Ex quibus facile deducitur, sacras Congregationes dici non posse tribunalia contentiosa, quemadmodum est S. Rota, nec proinde possunt Ss. Congregationes ullo modo Rotae subordinari, quemadmodum nec Rota subordinatur aut stricto sensu subordinata dici potest sacris Congregationibus; nam in diversa omnino linea inveniuntur. Ex quo consequens est ut Congregationes in Rotam et multo magis vicissim nullam habeant auctoritatem, nec Rota negotiis Ss. Congregationum, nec Ss. Congregationes negotiis Rotae possint se immiscere.

Et hoc quoque firmari potest iis, quae tradit Cardinalis De Luca de iudic. disc. XLVII, n. 7, dicens: " Nullibi pro mea notitia cautum est, an Ss. Congregationes Cardinalium uni vel alteri subiaceant Signaturae. Et merito quoniam revera dici non merentur tribunalia contentiosa, quae cum ordinaria vel delegata iurisdictione causas in forma iudicii disputent ac decidant cum sententiis vel

decretis, praevio formali processu. Illae siquidem... erectae fuerunt non quidem ut in forma iudicum et tribunalium cum processu ac tela iudiciali causas contentiosas decidant cum sententiis vel decretis, ac propterea ab eis interponendae sint appellationes, super quibus cadat quaestio an admittendae sint ad utrumque effectum devolutivum et suspensivum vel ad solum devolutivum; aut quod intrent quaestiones electionis et variationis fori, sive primae vel ulterioris instantiae..., de quibus pertinet ad Signaturam iustitiae regulariter agere; — sed erectae fuerunt ut in forma summaria et extraiudiciali decidant vel componant controversias orientes inter episcopos et subditos ad occurrendum ne inter istos audiantur lites et controversiae cum scandalo secularium...; aut super ritibus sacris et ecclesiasticis cum similibus, non quidem in forma iudiciali cum processu et tela iudiciaria, minusque cum sententiarum vel decretorum prolatione, dum idem Sixtus V in declaratione eiusdem propriae constitutionis expresse statuit, ut in causis contentiosis exigentibus processum et telam iudiciariam sacrae Congregationes non se ingerant, sed illas remittant suis iudicibus, quoties de partium consensu ipsarum iudicium non exspectatur. Et per consequens rationabiliter inolevit stylus, quod a decretis vel resolutionibus earumdem non detur recursus ad Signaturam iustitiae, quum ita potius resolutiones dari dicantur nomine Summi Pontificis, ac propterea quando aliqua partium resolutioni non acquiescat, quia praetendat eam iniustam, vel quod causam legitime in aliqua Congregatione introductam avocare praetendat, sive quod recognoscatur cum voto Rotae, tunc ad ipsum Papam in aula vel in eius immediata Signatura, quae ad differentiam mediatae dicitur gratiae, recurrendum est. „

Quae quum ita sint, evidens fiebat non posse Rotam restituere contra iudicatum Romanarum Congregationum.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

17. — Supposito autem, quod Rota hoc non posset, quaestio fierit poterat, an hoc liceret apostolicae Signaturae. Aliqua ex argumentis, superius allatis ad demonstrandum S. Rotae facultatem, de qua quaeritur, non inesse, profecto non procedebant contra Apostolicam Signaturam. Verum neque huic huiusmodi potestatem esse implicite quidem, sed iure, declararunt Patres.

Apostolica enim Signatura, prouti per constitutionem " Sapienti consilio „ restituta, vel melius instituta est, quemadmodum ipsa constitutio loquitur, potius assimilanda est Signaturae iustitiae quam Signaturae gratiae; est enim magis mediata, quam immediata Papae Signatura, quum Rom. Pontifex nullas in ea habeat immediatas partes. Porro vidimus ex De Luca sup. citato, Signaturam iustitiae nihil posse quoad iudicata Ss. Congregationum. Ergo nihil pariter per se poterat Apostolica Signatura. Quae consonant iuri romano, quod in lege 48 § 3 de minoribus etc. D. edicit: " Idem imperator Licinio Frontoni rescripsit, insolitum esse, post sententiam vice sua ex appellatione dictam alium in integrum restitutionem tribuere nisi solum Principem „.

Reliquum igitur erat dicere, ipsas Ss. Congregationes debere, si velint, in integrum restituere adversus resolutiones suas, vel potius, si aptius loqui velimus, indulgere beneficium aperitionis oris aut novae audientiae.

18. — Verum haec procedunt secundum ea, quae habentur in novissimo iure, iuxta quod Ss. Congregationes non iudiciario, sed administrativo tantum modo procedunt. Quaestio autem alia erat, ut patet ex dubio proposito. Scilicet quaestio erat quid esset dicendum de concessione restitutionis in integrum adversus iudicatum alicuius S. Congregationis, quae secundum antiquum ius iudiciario ordine processerat.

Huic etiam quaestioni negative Patres responderunt iure merito. Potestas enim RR. Congregationum nunc tota

regitur nova constitutione. Porro secundum eam Ss. Congregationes destituuntur quacumque facultate procedendi iudiciario modo. Non erat autem conveniens seu respondens harmoniae, quae in aliqua legislatione vigere debet, ut quae Congregationes potestate destituuntur procedendi modo iudiciario et ad solam administrationis sphaeram constrictae sunt, eae restituerent in integrum adversus actum, ad quem iudiciario modo devenerant. Quamvis enim actus ille sit vere actus S. Congregationis, Congregatio ipsa formaliter diversa est. Quando autem dicitur in iure, unumquemque iudicem posse restituere contra actum suum (1); hoc intelligitur dummodo iudex in sua formalitate iudicis idem maneat. Non est autem idem formaliter ille iudex, qui aliquam partem suae iurisdictionis seu suae competentiae amiserit.

Quare ex iure noviter constituto nemo habebatur, cui fas esset restitutionem in integrum concedere contra iudicata Ss. Congregationum.

Nec mirum, quum legislator in iure novo condendo ad ea attenderit, quae permanenter futura sunt, non ad ea quae sunt futura tantum transeunter. His consulere voluit legislator transeuntibus quoque ordinationibus.

19. — Quum igitur res sic se haberent, visum est Patribus hanc facultatem Apostolicae Signaturae a Ssmo Domino concedendam. Quod iure merito factum esse videntur mihi sequentes probare rationes:

1° Signatura Apostolica est tribunalium omnium supremum, ut constat ex can. 35 Legis propriae: habet suam iudiciariam methodum, quam sequi debet, sive in quibusdam causis omnino propriam, sive saltem cum S. Rota communem. Cr. can. 38-43 Legis propriae.

---

(1) Cfr. l 16, *de minoribus*, etc. D. (IV. 4) § 5: "Nunc videndum, qui in integrum restituere possunt. Et tam Praefectus Urbi quam alii magistratus pro iurisdictione sua restituere in integrum possunt, tam in aliis causis, quam contra sententiam suam „.

2° Aliqua est analogiae vel aequitatis ratio. Signatura enim Apostolica ea est, quae concedit restitutionem in integrum contra sententias rotales, quae transierunt in rem iudicatam, contra scilicet eas sententias, quae iure novo ordinarie supremae sunt. Contra igitur sententias, quae iure antiquo supremae erant, restitutionem concedere Signaturam analogia seu aequitas suadet: " aequitatis enim ratio similia suadere videtur „, ut dicitur in lege 19 ad legem Falcidiam C. (VI. 50); scilicet " haec aequitas suggerit, etsi iure deficiamur „ *l. 2, de aqua, etc. D.* (*XXXIX, 3*).

Necessaria autem fuit specialis commissio SSmi, quia auctoritate ipsa sua hoc Signaturae Apostolicae non competebat.

20. — Peti posset an Signatura Apostolica, si quando concesserit in casu restitutionem in integrum, debeat causam ipsa videre an potius ad Rotam remittere.

De hoc silet responsio S. Congregationis.

Verum mihi videtur, ni fallor, causa ab ipsa Apostolica Signatura esse videnda. Neque enim decere videtur ut S. Rota suae decisioni submittat causam a Ss. Congregationibus iam iudicatam. Ceterum evidens est in casu particulari standum in primis esse terminis rescripti commissionis.

21. — Alterum dubium S. Congr. Consistoriali propositum fuit sequens:

" Utrum adiutores Auditorum S. Rotae agere possint munus advocati in aliqua causa, quae agitur apud S. Rotam vel apud Apostolicam Signaturam „. Et dubium dimissum fuit sequenti responsione: " Negative in utroque casu „. Ut hanc responsionem S. Congregationis illustrem, sequentia adnotare placet.

Difficultas exinde oriri poterat, quod ex una parte, quum edictum de postulando prohibitorium sit, sicut et illud de

procuratore constituendo, et proinde omnes generaliter ad postulandum admittantur, qui non prohibentur, nec ulla adsit prohibitio postulandi pro adiutore Auditoris S. Rotae, hi non videbantur exclusi nec excludendi; ex alia autem parte minus decens videbatur eos patrocinium alicuius causae suscipere, quum, etsi iudices non sint, ratione tamen officii de munere iudicis haud parum participant.

Porro ex iure romano, quod in his sequitur ius nostrum, iudicem prohiberi ab advocando in ea causa, in qua iudex fuit, omnibus in aperto est. Quod quidem non ex iure tantum positivo romano oriri dicendum est, sed evidenter fundatur in iis, quae recta ratio nos docet. Ex qua constat illud, quod reperimus in unaquaque legislatione, reum distinctum a iudice esse debere, quum nemo sibi ipsi ius dicere possit. Advocatus autem cum reo fere confunditur; debet enim vi officii clienti suo seu reo suppetias ferre eique patrocinari. Iudicem contra maxime dedecet reo suppetias ferre, quin imo iudex ab hoc prohibetur, quum ipsius sit ius tueri et dicere inter partes.

Quod autem de facto adiutor Auditoris Rotae de munere iudicis participet, constat ex iis ipsis, quae in novissimis legibus reperiuntur. Quaedam huiusmodi breviter indicabo:

1° in can. 23 statuitur, ut ponens vel *eius studii adiutor* in calce libelli diem constituat pro contestatione litis seu concordatione dubiorum;

2° in can. 24 supponitur *adiutorem studii* posse aliquid excipere contra formulam seu concordationem dubiorum, in quam partes conveniant;

3° in can. 29 constituitur, ponenti seu eius *adiutori* exhibendum esse exemplar tum defensionis tum responsionis, antequam edatur, et ab eo expetendam et obtinendam facultatem imprimendi atque evulgandi;

4° in can. 30 dicitur, biduo ante disputationem (ad elucidationem dubiorum) partes exhibere debere *adiutori* ponentis quaestionis capita cum altera parte discutienda,

paucis verbis, una vel altera periodo, contenta. Haec autem ab ipso *adiutore* partibus hinc inde communicanda sunt, una simul cum quaesitis a turni Auditoribus praeparatis, si quae ipsi habeant, super quibus partes rogare velint. Haec omnia satis probant illud, quod asserui.

Nec solum adiutor in pluribus de iudicis munere participat; sed vi muneris sui in eo statu constituitur, ut plurimum adversario nocere, clienti vero suo prodesse possit, contra aequalitatem, quae servanda est inter collitigantes et inter eorum patrocinatores. Sufficiat illud unum advertere, quod ex canone 32 eruitur, in quo agitur de sententia, cuius partem dispositivam seu responsiones ad dubia adiutor ponentis vel alius ex auditoribus, cui hoc munus in secreta causae discussione commissum sit, ante alios triginta forte etiam dies cognoscet; et quam ipse forte exarabit seu extendet, ut dicitur. Quae quidem omnia in commodum sui clientis et in incommodum sui adversarii evidenter cedere possent.

Et haec omnia iis confirmantur, quae doctissimus card. De Luca in sua " Relatio Romanae Curiae forensis „ disc. 32 tradit, exprimens desiderium, ut non solum in ipsa Rota, sed nullibi, adiutores Auditorum Rotae ad patrocinandum admittantur, dicens: " Unde pariter congruum videtur, ut super hoc aliqua capiatur provisio, ut etiam super plerisque aliis abusibus, qui litigantibus magnas inferunt suspiciones magnamque praebent conquerendi occasionem, et praesertim circa adiutores studiorum, quod nullatenus, dum in eo sunt munere, suscipiant causarum patrocinium vel curam, aut aliquam licet remotam participationem vel affectionem, ad hoc ut quando, eo munere derelicto, alterum suscipiant advocationis, illas habeant clientelas, atque ita adviamentum praeparando et comparando pro futura advocatione; quoniam revera est magnus abusus productivus multorum inconvenientium, vel saltem, quando omnino probi et integri praesupponendi sint, praebet occasionem suspicandi et conquerendi

partibus, unde propterea decernendum videretur, quod in illis causis, in quibus ipsi in hoc munere partem habuerunt, *quasi tamquam iudices*, nullo modo possint scribere, vel se ingerere tamquam advocati etiam post dimissum munus „.

Ex quibus omnibus patet rationabilitas responsionis a S. Congregatione dubio datae.

22. — Alia duo dubia, quae simul considerari debent, sequentia sunt:

" Quaestione aliqua ad sacram aliquam Congregationem delata et una ex partibus dissentiente, quominus ibi res disciplinari seu administrativo modo dirimatur, dubium de competentia ita excitatum, a quonam et quomodo definitiva et inappellabili sententia sit resolvendum „.

Huic dubio sequentem dederunt emi Patres responsionem:

" Servetur dispositio *Normarum peculiarium Ordinis* (seu *Regolamento*) *cap. I num. 3 et cap. III num. 10.* Quod si Congressus dubitet de sua competentia, rem deferat ad S. Congregationem Consistorialem pro dubii definitione iuxta *num. 2 cap. 1* earumdem *Normarum.* Si vero Congressus decernat, causae cognitionem ad se competere, et una ex partibus recursum ad Ss. Dominum contra Congressus resolutionem interponat, de commissione ipsius Ssmi quaestio de competentia pariter a S. Congregatione Consistoriali dirimatur „.

Alterum dubium eamdem contemplatur quaestionem, S. Rotam tamen non SS. Congregationes respiciendo. His terminis proponebatur:

" Et si res sit apud S. Rotam, dubium de eius competentia a quonam et quomodo definitiva pariter et inappellabili sententia sit resolvendum „.

Responsum autem est:

" Firmo, quod S. Rota, quum sit appellationis tribunal, videre nequit de instantia in primo gradu, nisi ex com-

missione Ssmi, in casu, quo recursus penes S. Rotam interpositus fuerit contra aliquem episcopi seu ordinarii actum, de quo disceptetur verane sit sententia, an potius decretum seu dispositio disciplinaris; dubium de competentia dirimatur, iisdem, cum proportione, servatis regulis ac in praecedenti responsione. „

Circa has responsiones ante omnia notandum est discrimen inter ipsam propositionem dubiorum. Quando enim agitur de causa delata ad S. Congregationem, expresse additur agi de casu, in quo una ex partibus dissentiat, quominus apud eamdem Congregationem res administrativo modo pertractetur.

Hoc autem non dicitur quando de S. Rota agitur, sed ibidem non attenditur nisi exstans dubium de eius competentia.

Et hoc iure merito factum est. Nam si quaeratur an confugere quis possit ad S. Congregationes, Rota relicta, ob recursum contra aliquam sententiam episcopi sui, evidens est responsio affirmativa.

Quod quidem tum iure quoque antiquo procedebat, antequam, immutatis circumstantiis, quoad Ss. Congregationes induceretur ea disciplina, quae usque ad novam constit. " Sapienti Consilio „ viguit; tum iure novo procedit, quemadmodum ex praefata constitutione erui absque dubio videtur.

De iure antiquo hoc nobis testatur De Luca, qui in disc. XLVII de iudiciis n. 7. dicit: " Dum idem Sixtus V in declaratione eiusdem propriae constitutionis expresse statuit, ut in causis contentiosis exigentibus processum et telam iudiciariam Ss. Congregationes non se ingerant, sed illas remittant suis iudicibus, quoties de partium consensu ipsarum iudicium non exspectatur. „ Quo exstante, poterant igitur Congregationes procedere etiam tunc, quando de causa stricte contentiosa et iudiciali sermo erat; semper tamen servato modo procedendi Ss. Congregationum proprio, scilicet non stricte iudiciali, quem ipsae

partes ad Ss. Congregationes recurrendo implicite admittebant.

Hoc autem ut dixi, de iure etiam novo procedit. Nam, ut alia relinquam, quae forte absque magno labore ex novis legibus ad hoc possent afferri, in Normis peculiaribus cap. III n. 10 dicitur :

> Quaestione semel instituta penes Congregationem aliquam administrationis ac disciplinae tramite *et a partibus admisso aut saltem non recusato* hoc agendi modo, his iam non licet eadem de causa actionem stricte iudicialem instituere.

Ex quibus facile eruitur, supposito consensu partium sive explicito sive implicito, Ss. Congregationes, non immutato suo procedendi modo, videre posse causas etiam, quae non respuerent tractationem mere iudicialem. Patet autem curnam dicantur ibidem partes prohiberi, ne, relicto postea iudicio Ss. Congregationum, ad ordinaria tribunalia recurrant. Agitur enim hic de iudice voluntario et libere electo, qui nomine et vice Summi Principis procedit, cuius iudicium semel susceptum non sine maxima iniuria quis respueret.

Quare, ut ex dictis patet, possunt partes, Rota relicta, semper ad S. Congregationem competentem recurrere, dummodo accedat *utriusque* partis consensus. Si enim unius tantum partis consensus adesset, altera vero pars repugnaret, non videtur mihi posse aliqua S. Congregatio ad causam videndam procedere, tum inspectis ipsis generalibus iuris principiis, tum attentis iis, quae in Normis peculiaribus loco superius citato idest cap. III, n. 10 legislator implicite innuere et statuere videtur dicens in plurali numero, quod, si semel *a partibus* admissus fuerit vel saltem non recusatus modus agendi S. Congregationum pro sua causa, non potest amplius causa actione stricte iudiciali tractari.

23. — Sed an e contrario aeque dici potest, Rotam quoque assumere posse iudicium alicuius causae, quod

spectat ad Ss. Congregationes? Et negative respondendum est. Hoc enim ius S. Rotae attribui nequit sive ratione prorogationis iurisdictionis, quam partes facerent, quia ad hoc ut iurisdictio alicuius iudicis de causa ad causam seu de re ad rem prorogetur, necesse est ut causae sint eiusdem naturae ac formae, quod in hoc casu non verificatur, quum ea, quae ad Congregationes pertinent sunt iuris administrativi, ea vero, ad quae iudicanda Rota posita est, ordinis sunt stricte iudicialis; — sive ratione alicuius expressi statuti iuris, quia e contra ius hoc idem expresse prohibere dicendum est, quum in Normis peculiaribus cap. 1° n. 3 expresse habeamus, iudicium quaestionis, quae ordinem administrativum respicit, *reservari* S. Congregationi, cui competit; quod probe inductum est, quum id ab ipso bono publico requiri videatur.

24. — Quid igitur dicendum de recursu, quod quis interponere velit ab aliquo decreto episcopali?

Notum est, appellationem seu provocationem ab inferiore magistratu ad superiorem duplicis generis esse, iudicialem scilicet et extraiudicialem. Ea est, quae fit ab actibus iudicialibus, quibus se gravatum quis existimat, ut est praecipue illa, quae a sententia fit; haec est, quae fit ab actibus extraiudicialibus, quibus aliquis se gravatum queritur vel probabiliter gravandum timet.

Appellatio iudicialis vere et proprie appellatio est, non item extraiudicialis, quum appellatio stricte sumpta dicat provocationem de inferiore iudice ad iudicem superiorem, et proinde supponat iam inceptum iudicium, quod in appellatione extraiudiciali locum non habet. Quod habemus expresse in cap. 5° de appellationibus, etc. X. ubi dicitur: " Sacri canones etiam extra iudicium passim appellare permittunt; nec solent huiusmodi dici appellationes, sed provocationes ad causam „.

Recursus igitur, quod fiat a decreto quodam episcopali vel erit recursus a gravamine quodam iudiciali, vel

erit recursus a gravamine tantum extraiudiciali. Porro recursus a gravamine iudiciali vel erit provocatio a sententia iudicis inferioris et tunc certe appellari potest ad Rotam, vel erit provocatio ab aliqua provisione iudiciali inferioris iudicis, et tunc etiam, ni fallor, apud Rotam poterit appellatio interponi. Ratio autem est, quia, quamvis in Lege propria, quum de S. Rotae competentia sermo est, hoc expresse non dicatur, dicitur tamen implicite, quum generale principuum sit gravamina iudicialia ad superiorem iudicem deferenda esse; talis autem est Rota quoad alia omnia tribunalia.

Recursus autem a gravamine extraiudiciali ad S. Rotam deferri non potest, nisi quis contra extraiudicialiter gravantem aliquam actionem experiri possit, quam velit apud S. Rotam proponere. Quo in casu non haberemus appellationem, sed institutionem causae et iudicii adversus damnificatorem. Quod tamen in casu episcopi gravantis generaliter non procedit, quum adversus decreta disciplinaria episcopi nemo possit actionem experiri. Recursus enim a tali gravamine extra iudicium illato fieri non potest nisi ad eum superiorem, qui potest adiri per modum querelae citra communem appellationem. Huiusmodi autem superior S. Rota non est.

Quare ex dictis propositae quaestioni erat respondendum, recursum contra decreta episcopalia, quae respiciant ordinem iudiciarium ad S. Rotam, recursum vero contra decreta, quae respiciant ordinem administrativum et disciplinarem, ad Ss. Congregationes pro varia sua competentia deferendum esse.

Quum autem in praxi saepe contingat ut ex inexperientia seu inscitia eorum, qui ad S. Sedem recurrunt, vel etiam ex ipsa difficultate negotii, quod nescitur facile utrum ad genus negotiorum ordinis iudicialis an potius ordinis administrativi reducendum sit, dubium esse possit num res a S. Congregatione, an potius a Rota sit pertractanda, hinc iure statutum est in Normis peculiaribus cap. I n. 3,

ut in casu sive Congressus illius Congregationis, cui negotium delatum fuit, sive decanus cum duobus auditoribus primis, si negotium delatum esset ad S. Rotam, iudicet de sua competentia. Hoc enim procedit de iure ipso communi, ex quo ipsius iudicis est videre an sua sit iurisdictio. Cfr. l. 5 de iudiciis D. (V. I).

25. — Verum contingere etiam potest et pluries iam contigit, quod sive Congressus alicuius Congregationis sive decanus Rotae cum duobus auditoribus primis dubii haereant et nolint idipsum definire, an scilicet sua in casu sit iurisdictio. Tunc necesse erat maius quoddam adire tribunal, quod rem authentice declararet. De hoc in constitutione " Sapienti consilio „ nihil cautum erat. Quamvis enim in ipsa piana constitutione statutum esset, ut Congregationi Consistoriali demandatum esset munus solvendi, in conflictatione iurium, dubia circa competentiam Sacrarum Congregationum, hoc tamen et restrictum erat, ut patet ex ipsis verbis, ad Ss. Congregationes, et respiciebat tantummodo casum duarum vel plurium Congregationum, quae aliquod negotium ad se exclusive pertinere vellent.

In casibus propositis agebatur de una ex partibus dissentiente quominus res pertractaretur apud S. Congregationes vel apud Rotam. Quare necessaria fuit ad hoc specialis commissio Ssmi, ut in casu res dirimenda deferretur ad S. Congregationem Consistorialem, cui stante munere eidem attributo, de quo supra dicebam, ratione analogiae et harmoniae in iure necessariae, hoc quoque munus merito commissum est.

PARS SECUNDA

De singulis Curiae *δικαστηρίοις*

I. — Sacrae Congregationes.

§ 1. — De sacris Congregationibus in genere.

26. — Sacrae Congregationes ex nova constitutione tredecim numerantur, si pro una assumamus duas congregationes de Prop. Fide, scilicet et eam, quae ita antonomastice vocatur, et eam, quae dicitur congregatio de Prop. Fide pro negotiis rituum orientalium; secus quatuordecim sunt. Dum SS. Dominus Pius X pontificatum suum auspicatus est viginti erant. Pius X Motu proprio 14 apr. 1904 "Quae in ecclesiae bonum„ S. Congregationem indulgentiarum et sacrarum reliquiarum perpetuo coniunxerat cum Congregatione Ss. Rituum; alio etiam Motu proprio 26 maii 1906 "Sacrae Congregationi„ suppresserat Ss. Congregationes de disciplina regulari et de statu regularium, quas in ipsam S. Congregationem episcoporum et regularium transfuderat. Aliae quatuor, scilicet Congregatio supra residentia episcoporum, supra examine episcoporum, de immunitate ecclesiastica et Congregatio Visitationis apostolicae Urbis ipsa constitutione nostra sublatae sunt, sive explicite, ut haec ultima, sive implicite, quia de his nulla amplius fit mentio, ut aliae tres. Nec immerito diceres Congregationem episcoporum et regularium et Congregationem Concilii sublatas fuisse, eisdem suffectis Congregatione de religiosis et nova Congregatione Concilii, quae nomen antiquum retinet, sed nova quoad substantiam est. His adde novam et quoad substantiam et quoad nomen institutam fuisse Congregationem, de sacramentis scilicet.

27. — Si autem attendamus ad antiquum ius seu ad antiquam organizationem Curiae romanae, plures etiam evanuerunt Congregationes. Card. De Luca in sua relatione Curiae romanae forensis plus minus novemdecim enumerat, quarum nomina hic pro historia meminisse iuvabit. Sunt autem Congregatio S. Romanae universalis inquisitionis seu S. Officii; Congregatio cardinalium S. Concilii tridentini interpretum; Congregatio super negotiis episcoporum et regularium; Congregatio iurisdictionis et immunitatis ecclesiasticae; Congregatio rituum; Congregatio Indicis librorum; Congregatio Fabricae; Congregatio examinis episcoporum; Congregatio reformationis regularium; Congregatio Propagandae fidei; Congregatio super indulgentiis et reliquiis; Congregatio super ceremoniali; Congregatio super Hispaniarum laminis; Congregatio Coloniae; Congregatio Palatinatus; Congregatio Visitationis apostolicae; Congregatio super consultatione negotiorum Status ecclesiastici, quae Consulta dicebatur; Congregatio boni regiminis; Congregatio levaminum. His addit plures alias praelatorum Congregationes, ut Congregatio Baronum et montium, Congregatio computorum etc. Patet autem multas ex his finem habuisse bonum regimen status temporalis ecclesiae, quae proinde immutatis circumstantiis sua sponte disparuerunt.

§ 2. — De Congregatione S. Officii.

A. Quemada Gabr., Tract. de fisco inquisitionis. Toleti, 1564. — Locati Umbert., Opus iudiciale inquisitorum. Romae, 1572. — Vanderani Petr., Enchiridion Inquisitionis. Venet., 1575. — Eymerici Nic., Directorium inquisitorum. Roma, 1578. — Comensis Bernardin., Lucerna inquisitorum haereticae pravitatis. Romae, 1584. — Mendez de Vasconcellos Gundis., De sententiis inquisitionis. Romae, 1596. — De Paramo Lud., De origine et progressu sanctae inquisitionis et de delegata inquisitorum potestate. Matriti, 1598. — De Paramo Lud., Pro defensione iurisdictionis sanctae inquisitionis. Matriti, 1599. — Farinacci Prosp., Decisiones criminales de iudiciis et tortura. Vicent., 1602. — Garcia Paul., Processus s. inquisitionis. Matriti, 1607. — Peña (seu Pegna) Fr., Inquirendorum haereticorum lucerna. Mediolani, 1610. — Masini, Sacro arsenale ovvero Prattica dell'Of-

ficio della S. Inquisitione. Genova, 1625. — Carena Caes., Tract. de officio S. Inquisitionis et modo procedendi in causis fidei. Cremonae, 1641. — Alberghini Io., Manuale qualificatorum S. Inquisitionis, in quo omnia, quae ad illud tribunal ac haeresum censuram pertinent, brevi methodo adducuntur. Panormi, 1642. — Sallelles S., De materiis tribunalium s. inquisitionis seu de regulis multiplicibus pro formando quovis eorum ministro, praesertim consultore; praemissis XII prolegomenis de origine et progressu dictorum tribunalium. Romae, 1651. — Peña (seu Pegna) Fr., Instructio seu praxis inquisitorum (simul cum Carena). Cremonae, 1655. — Rodriguez Nic., Allegationes fiscales seu de confiscatione bonorum in officio sanctae inquisitionis. Lugd., 1663. — Bordoni Fr., Sacrum tribunal iudicum in causis sanctae fidei. Lugduni, 1665. — Saussay Andr., Aphorismi inquisitorum. Lugd., 1669. — Del Bene T., De officio S. Inquisitionis. Romae, 1672. — Macedo F., Schema S. Congregationis S. Officii romani cum elogiis cardinalium. Patavii, 1676. — De Luca, Il cardinale pratico, c. 25. — Albitius, De inconstantia in fide. Amstelod, 1683. — Neri I., De iudice s. inquisitionis. Florentiae, 1685. — Menghini Tomm., Regole del tribunale di S. Offizio. Ferrara, 1687. — Albitius, De inconstantia in iudiciis. Romae, 1698. — Masini, Sacro arsenale ovvero pratica dell'offizio della s. inquisitione, Roma, 1730. — Danielli, Op. cit., tit. 28, vol. IV. — Moroni G., Op. cit., vol. XVI art. Congregazioni cardinalizie, pag. 230. Congregazione della santa romana ed universale Inquisizione, detta del s. Offizio. — De Luca, Relatio Curiae romanae, dissert. 14. — Camacho Guerrero de Aboym Did., De privilegiis familiarium officialiumque s. inquisitionis, Ulyss. 1859 — Simor I., De sacris congregationibus romanis et illarum auctoritate (in Archiv f. k. KR., xi, 410-423), 1864. — Simor I., De s. Congregationibus romanis s. officii et concilii (in Archiv. f. k. KR.,. xv, 133-140), 1866. — Cadène, De secreto s. officii in Anal. eccl. V. 498. — Jauzons, Hist. de l'inquisition en France. 1° Les origines de l'inquisition. Paris, 1909.

Cordubensis Anton., Opus de indulgentiis. Compluti, 1554. — Theodorus a Sp. Sancto, Tract. dogm. moralis de indulgentiis. Rom, 1743. — Falise, S. Congregationis indulgentiarum resolutiones authenticae. Pars prior. Lovan., 1862. — Prinzivalli Al., Resolutiones seu decreta authentica S. Congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae ab anno 1860 ad ann. 1861 accurate collecta. Rom., 1862. — Decreta authentica S. Congregationis Indulgentiarum edita iussu et auctoritate Leonis XIII. Ratisbonae. 1883. — Rescripta authentica S. Congr. Indulgentiarum nec non summaria indulgentiarum, quae cum originalibus contulit Iosephus Schneider. Ratisbonae, 1885. — Melata B., Manuale de indulgentiis, Romae 1892. — Mocchegiani P.,

Collectio indulgentiarum theologice, canonice ac historice digesta. Quaracchi, 1897. — Lepicier A., Le indulgenze, loro origine, natura e svolgimento. Opera tradotta dall'originale inglese dal sac. Luigi Cappelli. Siena, 1897. — Beringer F., Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch [12] (von der hl. Ablasskongregation approbierte und als authentisch anerkannte Auflage). Paderborn, 1900. — Gottlob A., Kreuzablass und Almosenablass. Eine Studie über die Frühzeit des Ablasswesens, 1905.

28. Institutio. — Originem suam habuit Congregatio haec ex constitutione Pauli III " Licet ab initio „ 21 iul. 1542 ut sanctum officium inquisitionis haereticae pravitatis regeret et auctoritative dirigeret. Patet quanti momenti fuerit officium hoc vere sanctum, quod tendebat praecipue ad removendum a fidelibus periculum ne falsis subornati doctrinis a vera fide desciscerent. Horum meminit Card. De Luca, loc. cit., disc. XIV, n. 2 sqq. dicens: " Hinc Sedes Apostolica inter plures ministros huiusque mali (haereseos scilicet) medicos spirituales, quorum cura esset de dicta haeresi infectos vel de infectione periclitantes inquirere, ut iam infirmos curarent, periclitantes autem praeservarent, adeo zelantem ac proficuum operarium adhibuit S. P. Dominicum Ordinis Praedicatorum fundatorem, cui primo inquisitoris nomen seu titulum attributum esse, scriptum habemus dum antiquiori tempore alii idem munus exercentes diversam forte nuncupationem habebant; atque ita post dictum sanctum aliis eius alumnis dictique sui Ordinis professoribus idem munus committere Sedes apostolica consuevit, inter quos immediatus vel mediatus successor fuit Petrus Veronensis, qui, ab haereticis pro fide catholica occisus, sanctorum martyrum catalogo merito per ecclesiam adscriptus fuit; atque ita isto inquisitoris nomine ubique dilatato, in Curia inquisitionis tribunal per ipsummet Pontificem cum iis ministris et adiutoribus, quos iuxta opportunitates assumere in tempora videbatur, regebatur: et praesertim cum opera et consilio aliquorum eiusdem Ordinis alumnorum et quorum unum sub nomine Ma-

gistri S. Palatii tamquam consiliarium et assessorem habere consuevit, ut superius advertitur; ac etiam alium sub nomine Commissarii huius inquisitionis; deindeque unum ex cardinalibus pro eius maiori adiutorio desuper praefecit, cui propterea praefecti inquisitionis nomen seu vocabulum tribuebatur. Singularum vero dioecesum vel provinciarum inquisitionis ministris inferioribus ac subordinatis idem inquisitoris nomen dari coepit, qui cumulative cum episcopis (qui semper fuerunt ac sunt suarum dioecesum nativi inquisitores et catholicae fidei defensores et conservatores) idem munus exercerent. Quum autem circa initia decimiquinti seculi lutherana haeresis antiquioris hussitanae (aliqua mutata superficie) innovativa in Germania exorta et dilatata aliquas Italiae partes quoque inficere coepisset; hinc Pontifex Paulus III istam sacram universalis inquisitionis congregationem erexit pro dicti tribunalis s. officii vel inquisitionis regimine ac meliori magisque auctoritativa directione; aliique successores Pontifices approbarunt ac facultates respective auxerunt „.

Et revera hoc praestiterunt praesertim Pius IV et Pius V ac maxime Sixtus V, qui eam recensuit tamquam primam inter omnes alias Congregationes, quas ipse celebri sua constitutione "Immensa„ ordinavit. Etiam in hac nostra constitutione Summus Pontifex pro more recepto eam primo loco recenset. Attamen notandum est, eam a Pio X non dici nec nominari supremam, quemadmodum etiam Pontifex omnino abstinet in tota constitutione sua ab antiquo nomine ex inquisitione desumpto. Quorum primum ideo forte factum est, ut vitaretur quaedam species maioris aut minoris dignitatis inter varias Congregationes, quae omnes eadem dignitate praestant ratione subiectorum, quae eas componunt, scilicet Cardinalium S. R. E. Alterius vero, quod adnotavimus, hanc reddit rationem Leitner in suo commentario ad hanc eamdem constitutionem: " ratio huius dispositionis fortasse invenitur in studio ut omne amoveatur odium ab hac veneranda et mitissima Congregatione „.

29. Constitutio. — Haec Congregatio, quae a Paulo III primitus sex Cardinalibus constituta est, progressu temporis sequentem consecuta est constitutionem. Componitur scilicet considerabili quodam Cardinalium numero, ut iam suo tempore adnotabat Card. De Luca, maiori vel minori pro beneplacito Romani Pontificis, quorum antiquior munus gerit secretarii; praefecturam enim istius Congregationis retinet Summus Pontifex. Et hoc quidem obtinet a longo iam tempore, sed antiquitus non verificabatur. Primus enim huius Congregationis praefectus, quae etsi a Paulo III erecta vel saltem in novum statum redacta, sub Paulo tamen IV anno 1558 tantum suae activitati initium dedit, fuit Cardinalis Michael Ghislieri, postea Romanus Pontifex sub nomine Pii V. Cfr. Grimaldi, *Les Congrégations romaines*, ch. 11.

Post Cardinales in hac Congregatione tamquam administri locum obtinent in primis quidam Praelatus, cui nomen est et titulus Assessoris s. Officii; huic proxime succedit Commissarius, qui est semper religiosus quidam Ordinis Praedicatorum, aliquando et per viam exceptionis, quemadmodum et de Assessore dicendum est, episcopali ordine insignitus. Habentur etiam tres alii religiosi Dominicani, qui huic Congregationi inserviunt, et nominantur Vice-Commissarius, primus socius et secundus socius. Omnes hi religiosi Ord. S. Dominici ex eiusdem Ordinis provincia Lombardiae desumendi sunt ex privilegio illi provinciae a Pio V eiusdem alumno concesso. Praeter hos recensendi sunt etiam summista, advocatus fiscalis, advocatus reorum, archivista et nonnulli notarii. Et haec, quemadmodum in praesenti, ita etiam antiquitus vigebant. Unum tamen est adnotandum, antiquitus, tempore scilicet Card. De Luca, primum officialem huius Congregationis fuisse Commissarium, non Assessorem. Sic enim loquitur De Luca (loc. cit., n. 6): " His (Cardinalibus) adiuncti sunt... ultra ordinarios officiales, qui hoc tribunal regunt et administrant, in actuali iurisdictionis exercitio ac processuum formatione

rerumque examine urbano vel rigoroso, quorum unus, qui iudicis ordinarii partes gerit, est ille, qui Commissarius S. Officii dicitur, eiusdem ordinis S. Dominici professor, ex dicta provincia Lombardiae; isque in consiliarium seu assessorem habet unum dogmatum et canonum professorem praelatum vel clericum secularem, qui Assessor dicitur, aliosque inferiores officiales et ministros „.

Praeter hos omnes in hac Congregatione recensentur consultores plures praelati ac religiosi. Inter hos quidam sunt, qui consultores nati dicuntur, quia nempe fixum locum in Congregatione occupant. Sunt autem duo alii religiosi Ordinis S. Dominici idest Magister generalis et Magister s. palatii, nec non religiosus unus ordinis Minorum conventualium, cui, ait De Luca (loc. cit.), " tamquam fixo invariabili congruit singulariter nuncupatio consultoris S. Officii, habens hoc munus magis peculiariter, illudque prae ceteris consultoribus exercet „ (1).

Consultoribus accedunt pauci quidam censores seu qualificatores, qui vocantur. Horum munus praecipuum est *qualificare* propositiones fidei vel bonis moribus non conformes. Quare ipsis demandatum est Patribus Cardinalibus proponere quanam sub nota propositio aliqua damnanda sit, an scilicet diiudicanda haeretica, erronea, temeraria, falsa, iniuriosa, calumniosa, scandalosa, piarum aurium offensiva.

In his omnibus nulla facta est immutatio ex nova constitutione " Sapienti consilio „. Statuitur tantummodo in

(1) Haine, *Synopsis S. R. E. Cardinalium Congregationum n.3 bis*, consultoribus natis adiungit Urbis Vicesgerentem et Decanum Rotae. De his mentionem nullam facit Card. De Luca, et quoad Decanum Rotae, factum, quod in nova ordinatione Congregationum non fuerit electus consultor S. Officii sed S. Congregationis Consistorialis demonstrat non esse computandum inter consultores natos S. Officii. — Parayre, *La nouvelle organisation du gouvernement central de l'Eglise*. Lyon, 1908, pag. 26, quaedam circa haec habet veritati haud conformia, quae mutuatus videtur ex G. Goyau, *Le gouvernement central de l'Eglise,* quod opus ab ipso ibidem citatur.

Normis peculiaribus in hac Congregatione administros maiores esse Assessorem et Commissarium; alios esse minores.

30. — Et hoc quidem quoad partem principaliorem Congregationis, ad exclusionem scilicet partis noviter adiunctae, quae de indulgentiis tractat, pro qua unus est administer maior, cui titulus est substituti, alii sunt administri minores. Adduntur etiam pro hac parte ex nova constitutione speciales consultores, quorum tamen nulla mentio amplius fit in *Indice praepositorum et officialium in Ss. Congregationibus, tribunalibus, officiis Romanae Curiae,* qui publici iuris factus est in primo numero ephemeridis officialis S. Sedis seu in " Acta Apostolicae Sedis „.

Pro hac parte, quae de indulgentiis curam habet, statutus etiam est *Congressus,* cuius nulla fit mentio pro parte principaliori. Congressus constat Cardinali a secretis, Assessore, Commissario et Substituto pro indulgentiis.

31. Competentia. — " De variis in praefata Congregatione (s. Officii) iisque gravissimis rebus agitur, imprimis autem de causis fidei ac de personis violatae religionis reis „, ita Benedictus XIV in sua constitutione " Sollicita „ 9 jul. 1753. Quae succincta expositio competentiae istius Congregationis fusius a Sixto V constitutione sua " Immensa „ 22 ian. 1588 explicatur, quum ei concedit potestatem " inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi et definiendi in omnibus causis tam haeresim manifestam, quam schismata, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, sacramentorum abusus et quaecumque alia, quae etiam praesumptam haeresim sapere videntur, concernentibus; non solum in Urbe et statu temporali S. Sedi subiecto, sed etiam in universo terrarum orbe, ubi christiana viget religio, super omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et alios inferiores ac inquisitores, quocumque privilegio illi suffulti sint „. Quare, ut ex his patet, sacrae huic Congregationi

non solum spectabat qualificatio propositionum falsarum, proscriptio pravorum librorum, resolutiones dubiorum generalium in materia fidei et morum, deputatio inquisitorum ubivis locorum, iudicia vel cognitio praesertim appellationum de delictis haereseos et cum haeresi connexis, sed etiam dispensationes de impedimento disparitatis cultus et mixtae religionis, solemnis professionis et ordinis sacri, de legendis libris haereticis, de conversatione cum haereticis etc., aliaque non pauca negotia ecclesiastica fori externi v. gr. de abstinentia et ieiunio, de probatione status liberi ad matrimonia rite celebranda, necnon gravissimae causae etiam matrimoniales de vinculi valore et solutione, quas ex mandato Rom. Pontificis propter singulares circumstantias potius sub secreto S. Officii quam per publicam disceptationem in aliis congregationibus expedire conveniebat, prout exponit Wernz, Ius Decr. II, 658. His accesserat electio episcoporum pro locis, quae nec Congr. de Prop. Fide aut de negotiis eccl. extr. subiecta erant, nec quoad eam peculiaribus constitutionibus aut concordatis regebantur. Quod factum fuit Motu proprio Pii X " Romanis Pontificibus „ 17 dec. 1903.

Et haec quidem erat competentia S. Officii quoad causas seu quoad obiecta. Quoad personas vero, ut eruitur ex citatis verbis constitutionis " Immensa „ omnes sub sua habet potestate. Cardinalibus tantum exceptis, qui iudicio Rom. Pontificis sunt reservati.

32. — Haec vigebant usque ad novam constitutionem. In hac autem sic definita est eius competentia:

Haec S. Congregatio... doctrinam fidei et morum tutatur. Eidem proinde soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus, quae suspicionem haeresis inducunt... Quidquid ad ecclesiae praecepta refertur, uti abstinentiae, ieiunia, festa servanda, id omne, huic sacro consilio sublatum, Congregationi Concilii tribuitur; quidquid ad episcoporum electionem spectat, sibi vindicat Congregatio Consistorialis; relaxationem vero votorum in

religione seu in religiosis institutis emissorum, Congregatio negotiis sodalium religiosorum praeposita. Etsi peculiaris Congregatio sit constituta de disciplina sacramentorum, nihilominus integra manet Sancti Officii facultas ea cognoscendi, quae circa privilegium, uti aiunt, Paulinum et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, praeter ea, quae attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis sacramentis doctrinam.

Ex his pronum est colligere ad hanc S. Congregationem spectare in primis ea omnia, quae respiciunt doctrinalem interpretationem eorum, quae fidei dogmata et doctrinam morum attingunt. Causas quoque, quae circa huiusmodi doctrinas versantur (sunt autem eae, quae ad errores in fide referuntur) ad eam pertinet cognoscere. Quod probe inductum est, quum merito illi S. Congregationi reservetur declaratio admissi criminis haereseos et applicatio poenae in haereticos, cui exclusive commissa est cognitio de ipsa doctrina seu de ipso errore doctrinae. De hoc autem expresse cautum est non solum in verbis nuper relatis ipsius constitutionis, sed etiam in Lege propria Rotae, ubi can. 15 expresse statuitur, causas maiores, sive tales sint ratione obiecti, sive tales sint ratione personae, excludi ab ambitu competentiae illius tribunalis. Causae autem quae referuntur ad errores in fide causae sunt maiores ratione obiecti. Merito autem haec ipsa causarum haereseos cognitio huic Congregationi *expresse* reservata est, quia, quamvis ad eam adstruendam praemissa militaret ratio, quum tamen mens legislatoris fuerit probe distinguere exercitium potestatis iudicialis ab exercitio potestatis administrativae, hoc Ss. Congregationibus relinquendo, illud S. Rotae et Apostolicae Signaturae demandando, poterat quis secus non immerito existimare causas quoque maiores, saltem ratione obiecti, ad Rotam pertinere.

33. — Qua ex ratione facile consequitur, has tantum causas S. Officio commissas; de his enim exclusive tum in ipsa

constitutione, tum in Normis peculiaribus sermo est. Quod quidem maxime patet ex eo, quod de competentia istius Congregationis dicitur circa ea, quae respiciunt privilegium Paulinum et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis. Nam tum in constitutione ipsa tum in Normis peculiaribus ea circa haec dicuntur, quae nullo modo includunt iudicialem potestatem. In constitutione enim dicitur integra manere S. Officii facultas ea cognoscendi, quae circa privilegium Paulinum et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, nulla facta mentione de disceptatione causarum iudicialium, quae ex his capitibus haberi possunt; in Normis vero peculiaribus (cap. VII, a. 1) quando ea explicantur, quae circa haec in constitutione sancita fuerant, semper de sola dispensatione ab huiusmodi impedimentis agitur. Tum enim numero 4° statuitur, ut unus e substitutis notariis munus sibi assumat imponendae taxationis rescriptis, *quibus dispensatio conceditur ab impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis;* tum maxime numero 6, postquam confirmata est potestas iudicialis Congregationis quoad crimina haereseos, quoad haec impedimenta non respicitur nisi potestas dispensandi. Et re quidem vera haec numero citato habentur:

> In tractandis negotiis, quae ad catholicam doctrinam moresque pertineant, et in iudicio ferendo de criminibus haeresis aliisve suspicionem haeresis inducentibus atque in iis omnibus, quae *ad dispensationes ab impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis* referuntur, Congregatio S. Officii suo more institutoque procedit, sibique propriam consuetudinem retinet, servatis normis in hac lege constitutis, quantum cum necessaria S. Officii disciplina componi possint.

Quare in praxi videntur mihi causae hae matrimoniales ad S. Rotam deferendae. Sacra autem Rota aliquando in his causis iudicandis supersedere debebit et S. Officium adire ad habendam declarationem aliquam, ad quam dandam exclusive competens est sacra haec Congregatio. Ut

ecce, impugnatur matrimonium initum inter non baptizatum et compartem, de cuius baptismate dubitatur. Causa a Rota diiudicanda est, quae si dubium est tantummodo facti ipsa dubium decidet; si vero dubium est iuris seu versatur circa essentialia baptismatis, et dubitatur proinde de eius valore, quia forte nescitur an forma vel materia, quae adhibita est, fuerint sufficientia ad validum conficiendum sacramentum, debebit supersedere et dubium deferre iudicandum S. Officio. Recepta autem responsione Congregationis, secundum eam iudicabit Rota de valore matrimonii.

Idem plus minusve dicendum de privilegio Paulino. Ea omnia, quae pertinent ad conditiones requisitas ut quis uti possit eo privilegio, vel quae respiciunt dispensationes ab interpellatione facienda, vel alia huiusmodi ad hanc S. Congregationem pertinent. De quaestione autem meri facti, utrum scilicet ante matrimonium initum a parte conversa facta fuerit interpellatio vel habita rite fuerit dispensatio ab ea facienda, iudicare debebit Rota.

Haec omnia videntur facile erui ex verbis constitutionis et praecipue ex mente legislatoris a SS. Congregationibus potestatem iudicialem auferre volentis, nisi aliquam expresse fecerit exceptionem.

Nec defuit iusta ratio haec statuendi. Non solum quia legislatori visum est bonum publicum exigere ut (rara aliqua tantum exceptione facta) omnimoda vigeret distinctio in foro nostro inter potestatem iudicialem et administrativam earumque organa; sed etiam quia, si attendatur intrinseca rei exigentia, inveniuntur quidem facile rationes cur facultas dispensandi circa impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis nec non regendi ea, quae pertinent ad privilegium Paulinum demandarentur huic sacrae Congregationi; nullae autem dantur pro committendis S. Officio causis iudicialibus ex his capitibus desumptis.

Ratio enim praecipua, imo unica, cur dispensationes istae S. Officio commissae fuerint, ea est, quia huic Con-

gregationi demandata est custodia fidei. Porro ad fidem conservandam et defendendam maxime necessarium est, ut matrimonia huiusmodi impediantur, quantum fieri potest, vel saltem, si impediri non possunt, praestentur debitae cautiones etc. Nullum autem periculum pro fide habetur in disceptatione alicuius causae iudicialis etiam quando matrimonium ex his capitibus impugnatur aut accusatur (1).

34. — Ex dictis patet, nova constitutione competentiam huius Congregationis non in paucis restrictam esse. Attamen quaedam etiam eidem sunt tributa, quae prius ad distinctam spectabant Congregationem. Scilicet universa res de indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat, ad hanc Congregationem ex nova constitutione est devoluta. Prius autem haec spectabant ad Congrega-

(1) Hinc convenire non possumus cum Besson (*Nouv. Rev. théol., La réorganisation de la Curie romaine, t. 41, p. 8*) dicente: " A ce titre aussi (custodis fidei) elle continue à connaître du privilège paulin et des empêchements de religion mixte et de disparité de culte; et comme la Constitution déclare que son pouvoir sur ce sujet demeure entier, *integra manet s. Officii facultas*, il s'ensuit qu'elle garde juridiction non seulement *administrative*, par exemple pour accorder dispense ou trancher les doutes doctrinaux, mais encore *judiciaire*, par exemple dans les procès de nullité de mariage intentés de ce chef „. Verius, ut videtur, Gaugusch (*Die Konstitution " Sapienti consilio „ vom 29 Juni 1908 in Archiv f. k. Kirchenrecht LXXXIX, 1909, pag. 614*). Optime autem Leitner (*De Curia romana, 1909, pag. 16*) scribit: " Quaestiones de *valore* sacramentorum spectare possunt ad triplicem Curiae magistratum: ad S. C. S. Officii, quoties agitur de quaestionibus *iuris* sive de decisionibus doctrinalibus, e. gr. an ad valide conferendum baptisma sufficiat tangere aqua baptismali tantum crines, exclusa cute; an in s. presbyteratus ordine sufficiat impositio et suspensio manuum, excluso tactu physico instrumentorum; e contra ad *S. Congregationem de disciplina sacramentorum*, quando agitur de casu practico, qui in linea disciplinari disceptandus est; ad Tribunal *Romanae Rotae* quoties casus practicus decidendus venit via *contentiosa* „.

tionem Indulgentiarum et sacrarum reliquiarum, quae primitus provisorio modo a Clemente VIII, postea definitive a Clemente IX constitutione sua " In ipsis pontificatus „ 6 iul. 1669 sub titulo Congregationis super indulgentiis et sacris reliquiis erecta est; tandem a Pio X Motu proprio " Quae in ecclesiae bonum „ 28 ian. 1904 unita fuerat S. Congregationi Rituum.

35. Modus procedendi. — Illud, quod maxime in forma procedendi S. Officii singulare erat, et hucusque eidem exclusivum, erat strictissimum iusiurandum, sub quo negotia istius S. Congregationis tractabantur. Omnes enim officiales Congregationis quoad eiusdem negotia perstringebantur strictissimo iureiurando secreti, quod, quia huic Congregationi exclusivum erat, dicebatur secretum S. Officii. Hoc iureiurando ad secretum ita ligabantur, ut, quemadmodum loquitur Pius X in Motu proprio citato diei 17 dec. 1903, " ad suum munus fideliter obeundum inviolatumque in omnibus et cum omnibus secretum servandum sub poena teneantur excommunicationis maioris latae sententiae, ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua nonnisi a nobis atque a nostris pro tempore successoribus Romanis Pontificibus, privative etiam quoad S. Poenitentiariam ipsumque D. Cardinalem Poenitentiarium, praeterquam in articulo mortis, absolvi queant „. Hoc iusiurandum, quod etiam nunc intactum manet, commune nunc eidem Congregationi est cum S. Congregatione Consistoriali. Aliarum Congregationum administri iusiurandum praestant de officio fideliter implendo, de non recipiendis muneribus etiam sponte oblatis et de secreto servando, quod tamen secretum, ut patet ex ipsa eius formula, respicit ea omnia " quae sacri canones aut superiores secreta servari iusserint, „ et obligat etiam " quoties ab ordinariis id postulatum fuerit (ut scilicet aliquid secretum servetur) et quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus aut ecclesiae obvenire potest.„ Poena

autem transgredientibus, si forte exsisterent, non alia est imposita, quam ea quae generatim omnes manet periuros. Hoc tamen strictissimo S. Officii secreto non tenentur administri, consultores, cardinales quoad negotia ad indulgentias pertinentia, circa quae non alio ligantur secreto quam communi omnibus administris Ss. Congregationum.

Quum haec Congregatio hoc sibi exclusive proprium habeat ut sit simul veri nominis tribunal pro quibusdam causis maioribus, et quidem exclusivum, nec non officium administrativum pro quibusdam gratiis et dispensationibus, praesertim pro concessione indulgentiarum, suas et diversas habet normas pro utriusque generis negotiis.

Definire proceduram S. Officii in iis, quae ad partem iudiciariam spectant, difficile admodum esset, imo et impossibile, quum plura secreta sunt et etiam varia pro varia negotiorum indole. Speciales ex. gr. sunt modi procedendi in causis haereseos, speciales in causis sollicitationis ad turpia in confessione etc. In nova constitutione nihil quoad hoc immutatum est. Idem dicendum est quoad negotia administrativa, quae huic Congregationi ex nova constitutione adhuc concredita manent. In Normis enim peculiaribus haec habemus:

In tractandis negotiis, quae ad catholicam doctrinam moresque pertineant et in iudicio ferendo de criminibus haeresis aliisve suspicionem haeresis inducentibus atque in iis omnibus, quae ad dispensationes ab impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis referuntur, Congregatio S. Officii suo more institutoque procedit, sibique propriam consuetudinem retinet, servatis normis in hac Lege constitutis, quantum cum necessaria S. Officii disciplina componi possint.

Adnotatione autem maxime digna sunt ea, quae in ipsis Normis sequuntur, scilicet:

Mos procedendi S. Officii, de quo in superiore num. 6° (in loco scilicet quem immediate supra citavimus), itemque temporalis suae administrationis gerendae ratio quamprimum erunt

scripto redigenda et postquam a Patribus Cardinalibus revisa fuerint, per Cardinalem a secretis Summo Pontificii erunt subiicienda ut approbentur.

36. — Quoad aliam partem, quae nuper huic Congregationi accessit, scilicet quoad indulgentias, haec in Normis peculiaribus praescripta habemus:

Circa indulgentias in ea parte, quae est disciplinae et gratiae, nova Romanae Curiae ordinatione S. Officio tributa, haec Congregatio adhaerebit normis ea de re propositis a Clemente IX in const. *In ipsis* die 6 mensis iulii a. 1669, quae lex plene vigebit. Ipsius igitur erit — omnem difficultatem ac dubietatem in indulgentiis emergentem, Romano Pontifice circa graviora difficilioraque consulto, expediendi; ac si qui abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi; causas vero iudicialem formam requirentes ad proprios iudices remittendi; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi; impressas recognoscendi et examinandi, ac, ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate reiiciendi; ac in concedendis indulgentiis moderationem adhibendi. — Firma pariter manet lata lex per decretum S. Congregationis Indulgentiarum ac Reliquiarum a Benedicto XIV approbatum die 28 mensis ianuarii a. 1756 et a Pio IX confirmatum die 14 aprilis a. 1856, hoc est: — Impetrantes posthac generales indulgentiarum concessiones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earumdem concessionum ad secretariam S. Congregationis deferre.

37. — Quoad modum practicum cogendi congregationes et res in eis examinandi haec antiqua praxi servabantur iuxta ea quae refert De Luca, loc. cit., n. 10 sqq. Unaquaque hebdomada ad praeparanda negotia, quae coram ipso Ss.Domino feria quinta erant discutienda, duae habebantur congregationes, altera "qualibet feria secunda in eiusdem tribunalis loco seu in palatio, quod S. Officii dicitur, prope

Basilicam Vaticanam, in quo, ait De Luca, continuam habent residentiam praefati Commissarius, Assessor, Fiscalis, Notarius et alii inferiores ministri; ac etiam divinae maiestatis rei carcerati detinentur. Congregantur omnes praefati consultores, praelati et religiosi, coram quibus processus leguntur ac etiam episcoporum ac localium inquisitorum litterae vel relationes, aliaque examinantur negotia pro maiori instructione Assessoris, qui ea relaturus est in alia Congregatione, in qua interveniunt cardinales. Ista vero sequitur qualibet die mercurii de mane in conventu eiusdem ordinis S. Dominici prope ecclesiam S. Mariae supra Minervam, in aulis ad id destinatis, immutata quandoque die vel hora ob festorum impedimenta vel alia accidentia ita tamen ut congregatio numquam intermittatur. Congregatis itaque cardinalibus, solus Assessor, stando tamquam minister, negotia currentia refert, processus etiam ac litteras vel relationes de verbo ad verbum legendo. Et postquam inter ipsos cardinales eis bene visa discussio secuta sit, in ea admittuntur consultores, qui interim assistunt et exspectant in aula exteriori, eorumque consilium seu votum expetitur atque ita determinantur negotia, quae iam mature examinata et discussa Sanctissimo proponi debere videantur. Istaque congregatione expleta, in die iovis immediate sequenti, pariter de mane (quoties accidentalia impedimenta horae mutationem non exigant) alia habetur eorumdem cardinalium congregatio coram ipso Papa, cui compendiose, ut decet, referuntur ea, quae in externae diei cardinalitia congregatione discussa fuerunt, ipsius etiam congregationis votum referendo, ut ipsius Papae oracula recipiantur. Atque in ista etiam congregatione post huiusmodi relationem, quandoque pro negotiorum qualitate, admitti solent praefati consultores, qui pariter interim in proxima exteriori aula assistunt; atque ex his resolutionibus prodeunt commissiones, quae localibus inquisitoribus, vel respective episcopis, dantur super his negotiis fidei „.

Haec autem omnia aliquam passa sunt immutationem, temporibus procedentibus. Congregatio etiam Cardinalium in palatio S. Officii nunc cogitur; consultores autem eidem non interveniunt neque in aula exteriori exspectant ut advocentur. Congregatio coram SSmo feria quinta, nisi forte in aliquo specialissimo casu, non habetur; sed Assessor ea die Romano Pontifici refert decisiones Cardinalium, quae praecedenti feria quarta statutae sunt, quas Romanus Pontifex vel reiicit aut immutat (quod rarissime fit), vel in forma communi approbat.

§ 3. — De Congregatione Consistoriali.

Marcelli, De sacris caerem. sive ritib. eccl. S. R. E., Romae, 1560. — Paleotti Gabr., De sacri consistorii consultationibus. Romae, 1592. — Gabrielli cardinalis, Tract. de sacri consistorii consultationibus. Venet., 1594. — Cohellius, op. cit., Congr. VII pro erectione ecclesiarum et provision consistorial. — Lunadoro, op. cit, cap. VI, Della congregaz. concistor. — Plettenberg, op. cit., eodem titulo. — De Matta Fel., De consistorialibus causis. Neap., 1694. — Platus, op. cit., cap. XXVIII, App. un. de Consistorio et de S. R. E. cardin. Congreg. ac de aliis Papae magistrat. — Danieli, op cit., hoc tit. — De Luca, Rel. Rom. Cur., disc. 5; Il cardinale pratico, cap. XXX della Congreg. Concist. — Moroni, op. cit., art. Congregazioni Cardinalizie, Congreg. Concistor.

38. Institutio. — Haec Congregatio instituta est a Sixto V constitutione sua " Immensa „ sub sequenti titulo: Congregatio pro erectione ecclesiarum et provisionibus consistorialibus „. Manet etiam post novam constitutionem, qua imo in maiorem gradum constituta est, ut videbimus.

39. Constitutio. — Ea antiquitus constabat ex competenti numero cardinalium ac etiam peritorum praelatorum, cum proprio secretario, qui tempore Cardinalis De Luca (cfr. loc. cit., disc. V, n. 25) non erat praelatus, sed, ut ipse ait, peritus togatus. Postea praelati ad duos redacti sunt, quorum unus fungebatur munere secretarii, alter autem substituti, nec solum pro ipsa congregatione sed etiam pro

s. cardinalium collegio, aliis quibusdam additis inferioribus officialibus. Praeses antiquitus erat Cardinalis decanus S. Collegii; postea ipsi Summo Pontifici eius praefectura reservata est. Consultores suos habuit antiquo tempore haec Congregatio, qui postea fuerunt sublati.

Congregatio Consistorialis ex nova constitutione multas passa est immutationes, quae eam ad novum et inusitatum evexerunt splendorem. Et quamvis secundo loco nominetur, quum congregationi S. Officii primus in constitutione reservatus sit locus, ratione forte antiquae possessionis, et quia causas tractat, quae ad fidem spectant, Congregatio tamen consistorialis prima iam non immerito diceretur in ordine saltem administrationis et momenti practici negotiorum, quae eidem sunt concredita, ut mox videbimus.

Quod ad eius constitutionem spectat haec nunc habemus. Praefectus iuxta recentiorem morem inductum pergit esse ipse Romanus Pontifex. Cardinales electi ab ipso Pontifice componunt Congregationem hanc. Duo tamen, scilicet secretarius S. Officii et secretarius Status, ad eam ipsa ratione muneris et eo ipso spectant. Secretarius non est amplius, ut prius, simplex quidam praelatus, sed est unus e Patribus Cardinalibus a Rom. Pontifice electus. Huic succedit in regimine congregationis et est " alter ab ipso „ praelatus, cui Assessoris nomen factum est, qui pergit fungi munere a secretis S. Collegii Cardinalium; sunt praeterea alii administri, quorum primus dicitur substitutus. Assessor et substitutus sunt administri maiores; alii omnes minores sunt. Restituti etiam sunt huic congregationi consultores quidam, quorum duo sunt consultores nati, scilicet Assessor S. Officii et Secretarius S. Congr. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis; alii libere eliguntur ab ipso Romano Pontifice.

Congressus, ut desumitur ex generali principio in Normis communibus statuto, constituitur Cardinali Secretario, Assessore et Substituto.

40. Competentia. — Congregatio haec exinde tale nomen sortita est, quod examinare, discutere et praeparare ei fuerat demandatum ea negotia, quae in consistorio tractari debebant, quaeque antiquitus non solum gratiosa erant, sed etiam contentiosa et forensia. " Negotia vero, ait De Luca (loc. cit. disc. V, n. 8), quae hodie in consistorio explicantur, forensem et contentiosam formam amplius non habent, sed solum gratiosam vel politicam, ut Principis supremum senatum decet „. Quare in consistorio agitur praecipue de promotione cardinalium, de provisione ecclesiarum patriarchalium, metropolitanarum et cathedralium vacantium, sive residentiales eae sint sive simpliciter titulares, nec non aliquorum monasteriorum regularium, quae propterea consistorialia vocantur, vel de coadiutoribus his praelatis dandis, vel de concessione pallii, vel de missione Legatorum a latere, vel de aliis huiusmodi. " Quia vero, ait idem Card. De Luca (loc. cit. n. 25), in plerisque ex dictis actibus consistorialibus interessati oppositores adesse solent, adeo ut formam vel disputationem contentiosam habere oporteat, eaque prudenter, ob maiorem consistorii maiestatem, ab eo (ut supra) exsulavit; hinc proinde erecta fuit particularis Congregatio dictorum consistorialium negotiorium praeparatoria seu consistorii consultrix; atque in ista Congregatione prius formiter examinantur materiae, partibus opponentibus auditis in forma mere contentiosa, proportionata tamen stylo Congregationum cardinalitiarum circa formalitatem telae iudiciariae; praesertim vero ubi agatur de ecclesiarum unionibus vel divisionibus seu dismembrationibus novisque erectionibus, an scilicet verificentur iustae causae vel requisita desuper necessaria. Ac etiam agitur de confirmatione electionis facta de praelato a capitulo vel monasterio, an valida et canonica sit; sive de concessione coadiutoriae, an iusta causa aliaque requisita concurrant; aut de nomina ione vel iure nominandi praetenso per principes vel universitates ad cathedrales seu metropolitanas. Prout etiam in ista Congrega-

tione examinantur causae ac requisita, sine quibus episcopus admitti non debet nec solet ad dimissionem ecclesiae atque ab eius vinculo solvi, quoniam quando agitur de eorumdem episcoporum poenali absolutione per viam privationis, tunc ad consultationem alterius Congregationis episcoporum id sequi solet. Et in summa ista Congregatio Consistorialis est ipsius consistorii pars seu membrum aut eiusdem consistorii consultor vel assessor, adeo ut nonnisi de eius voto consistorialia, quae controversiam pati valeant, explicentur „.

41. — Praesens autem Congregationis huius munus seu competentia multum ex nova constitutione ampliatum est. Distinctae enim sunt noviter duae partes in hac Congregatione.

Ad primam spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxiis novas dioeceses et *capitula* tum *cathedralia* tum *collegiata* constituere; dioeceses iam constitutas dividere; Episcopos, Administratores apostolicos, Adiutores et Auxiliarios Episcoporum eligere; canonicas inquisitiones seu *processus* super eligendis indicere actosque diligenter expendere; ipsorum periclitari doctrinam. At si viri eligendi vel dioeceses constituendae aut dividendae sint extra Italiam, administri Officii a publicis negotiis, vulgo *Secretariae Status*, ipsi documenta excipient et *Positionem* conficient, Congregationi Consistoriali subiiciendam.

Altera pars ea omnia comprehendit, quae ad singularum dioecesium regimen, modo Congregationi de Propaganda Fide subiectae non sint, universim referuntur, quaeque ad Congregationes Episcoporum et Concilii hactenus pertinebant, et modo Consistoriali tribuuntur. Ad hanc proinde in posterum spectent vigilantia super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur; cognitio eorum, quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium; indictio apostolicarum visitationum, examenque earum, quae fuerint absolutae, et, post fidelem rerum expositionem ad Nos delatam singulis vicibus, prae-

scriptio eorum, quae aut necessaria visa fuerint aut opportuna; denique ea omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia seminariorum pertinent.

" Huius Congregationis erit, in conflictatione iurium, dubia solvere circa *competentiam* Sacrarum Congregationum „.

Invitationes praeterea, quae episcopis ex recepto more faciendae sunt ut canonizationibus sanctorum vel aliis pontificiis ceremoniis et solemnitatibus assistant, per huius congregationis epistolas fieri debent.

Illud autem, quod nobilissimum est huius Congregationis munus, in eo consistit, quod eidem commissum fuerit omnes dirimere controversias et dubia solvere circa competentiam sacrarum Congregationum sive inter se, sive inter ipsas et tribunalia Curiae; una excepta Congregatione S. Officii, quae dubia circa suam competentiam, si quae exoriantur, ipsa per se dirimere potest, servatis tamen terminis a nova constitutione praefinitis.

42. — Ex his omnibus facile patet, quinam fuerit conceptus legislatoris in definienda competentia istius Congregationis.Scilicet ab ea dependent ea omnia, quae pertinent ad institutum iuridicum dioecesium ecclesiasticarum et respiciunt earum constitutionem et conservationem. Quare sive agatur de earum institutione, divisione seu generalius organizatione, ut dicitur, ac proinde de electione eorum, qui ipsis praeponuntur; sive agatur de vigilantia circa modum agendi ordinariorum, ex quo maxime pendet conservatio efficax et apta ad finem intentum ipsius dioecesis, unice competens est haec sacra Congregatio. Idem dicendum de seminariis, quae, quum sint institutum maxime conducens ad bonum dioecesis ipsius et ad eius conservationem, convenientissime huic eidem Congregationi subiecta sunt. Eodem modo ea, quae stricte pertinent ad eos duos fines, ad constitutionem scilicet et conservationem dioeceseos, ad hanc Congregationem spectare mihi dicenda videntur. Quare ex. gr. videre et approbare taxam Innocentianam

in hac vel in illa dioecesi statutam, statuere an immutatis forte circumstantiis augenda vel minuenda sit, de huius Congregationis competentia videntur esse. Quod si quaestio aliqua, postea exsurgeret inter curiam dioecesanam et clericum ex. gr. aliquem circa taxae solutionem, hoc non ad hanc Congregationem, sed ad Congregationem Concilii spectare dicerem. Pariter affirmare non dubitarem ab hac Congregatione pendere ea, quae respiciunt necessitatem erigendi in hac vel in illa dioecesi societates seu comitatus, quos vocant, dioecesanos, arcas nummarias dioecesanas et alia huiusmodi, eaeque ut instituantur, in mandatis dare ordinariis.

Quae omnia videntur mihi confirmari ex eo quod, ut patet ex mente constitutionis nostrae, Congregatio Consistorialis ea est exclusive, quae in nova hac Curiae organizatione statum dioecesium cognoscit.

43. — Quoad seminaria videtur mihi absque dubio asserendum competentiam huius Congregationis se extendere quidem ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia, idest ad ea omnia, quae pariter spectant ad institutionem, conservationem et incrementum seminariorum; non autem ad ea, quae alia respiciunt. Sic ex. gr. si ageretur de controversia inter seminarium et quemdam eius censuarium, aut inter seminarium et parochum quemdam aut capitulum, de ea videre ad S. Congregationem Concilii dicerem pertinere. Haec omnia ingrediuntur ambitum competentiae istius Congregationis, cui, ut loquitur ipsa constitutio, commissa est ea pars negotiorum, quae ad universam disciplinam cleri secularis populique christiani refertur.

44. — Circa modum vero electionis ordinariorum vel constitutionis aut divisionis dioecesium in ipsa constitutione cavetur, ut ab eadem Congregatione processus super eligendis vel studia praevia ad dioeceses constituendas aut dividendas ex integro conficiatur et expendatur, excepto tantum casu,

quo de viris eligendis aut de dioecesibus agatur extra Italiam. Tunc enim parare processum seu acta necessaria, non ad officiales Congregationis Consistorialis, sed ad officiales Secretariae Status pertinet. Quod probe inductum quisque videt, quum hi facilius habere possint documenta et notitias ad hoc requisitas. Attamen semper Congregationis istius est acta perpendere. Quare officiales Secretariae Status id unum in mandatis habent ut documenta excipiant et positionem conficiant, idest documenta excepta in unum colligant, quae postea ad hanc Congregationem remittant. Istius autem Congregationis officialibus commissum est, ut ea examinent, et ex his conficiant relationem seu folium officii, quod dicunt, emis Patribus subiiciendum.

Quae ratio hic adducta etiam hoc mihi suadet, verba illa constitutionis *extra Italiam* non ita stricte intelligenda esse, ut scilicet omnes indiscriminatim dioeceses comprehendat extra Italiam sitas. Sed eas tantum, quae in iis regionibus sitae sunt, quorum Gubernia relationes fovent diplomaticas cum S. Sede. Quoad loca enim, in quibus relationes illae diplomaticae non habentur, inutile esset negotium istud Secretariae Status remittere. Dum enim in locis, in quibus relationes diplomaticae habentur, Secretaria Status optimas habere potest informationes quoad personas et quoad loca; in aliis loca et personas melius cognoscit S. Congregatio Consistorialis. Quare dum in primo casu utilissima est constitutionis dispositio, in alio nociva esset. Cogitari autem non potest noxiam dedisse legislator dispositionem. Quare ambigua videtur legis dictio; et " in ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio, quae vitio caret, „ ait Celsus in lege 19 *de legib. etc. D.* (*I. 3*). Ex his iudico verba illa constitutionis *extra Italiam* intelligenda esse de locis, in quibus S. Sedes suos habet Nuncios aut repraesentantes vere diplomaticos. Quare non puto in eo dicendi modo comprehendi Angliam, Status foederatos Americae Septentrionalis, rempublicam Mexicanam etc.

15. Modus procedendi. — In primis quoad formam procedendi huic Congregationi propriam illud adnotandum est, quod loquentes de S. Officio nuper dicebamus, eam scilicet ad istius imitationem negotia pertractare sub strictissimi secreti iureiurando, cuius formula in Normis peculiaribus publicatam conspicimus.

Distinguuntur praeterea ibidem ea, quae in plena Congregatione ab iis, quae expedienda sunt in Congressu. Horum omnium accuratam mentionem faciunt Normae peculiares his verbis:

Plenae Congregationi ius competit nominandi Episcopos omnes, stabiles Ordinarios dioecesanos, Visitatores Apostolicos dioecesum. Ad eamdem pertinet novas dioeceses constituere, constitutas unire; canonicorum collegia, seu *Capitula*, erigere; Visitatorum atque Ordinariorum de statu suarum dioecesum relationes expendere; dioecesano regimini ac seminariis universim prospicere; specialiter vero iis omnibus occurrere quae graviora videantur, prout ante praescriptum est; denique in conflictatione iurium dubia solvere circa competentiam omnium Officiorum, excepta Congregatione Sancti Officii, quae ipsa per se de sua competentia iudicabit, iuxta superius dicta.

In Episcopis nominandis, quoties id ei competat, Congregatio Consistorialis inhaerebit normis Constitutionis *Romanis Pontificibus*, diei XVII mensis Decembris MDCCCCIII.

Ad Congressum pertinet, praeter ea quae communibus huius legis normis sunt constituta, nominare Administratores Apostolicos temporarios dioecesum, ubi necessitas urgeat; acta omnia conficere ad praeparandam positionem super eligendis in Italia Episcopis, et ad reliqua in plena Congregatione discutienda; ea providere quae dioecesum ac seminariorum ordinarium regimen spectant, qualia sunt dispensationes Episcopis a commorando in sua sede, facultas iisdem protrahendi relationem de statu dioecesis, aliaque huiusmodi; quaecumque denique ad solvendam pro eiusdem Congregationis actis pecuniam referuntur.

Relationes de statu dioecesum, nisi gravior urgeat providendi

ratio, ad plenam Congregationem non deferentur seorsim singulae, sed pro variis provinciis regionibusve coniunctae.

Adiutor autem in redigendo summario res adnotabit maioris momenti, sive quae bene sive quae male successerint.

Idem fere servabitur in relationibus Visitatorum Apostolicorum.

Nominationes omnes, quae solent in Consistorio promulgari, non aliter fient, nisi per litteras signo Romani Pontificis impressas, seu per Bullam.

Eadem ratione decreta mittentur alicuius novae constituendae dioecesis, aut canonicorum collegii, seu Capituli, aut uniendarum dioecesum „.

§ 4. — De Congregatione de sacramentis.

46. Institutio. — Haec est novissima congregatio, quam primitus erexit nova Constitutio " Sapienti consilio „. Eidem demandata sunt plura, quae prius ad alias pertinebant congregationes et officia, ita ut exinde facilior, imo possibilis evaserit distinctio illa iurisdictionis, quae est constitutionis novae praecipuus finis.

47. Constitutio. — Etiam in sui constitutione seu organizatione aliqua praesefert haec congregatio, quae eius novitatem ostendit. In hoc enim, etsi in multis referat traditionalem aliarum congregationum constitutionem, in non paucis ab ea discrepat, quaedam nonnulla sibi propria vindicans.

Constituitur igitur congregatio nonnullis Patribus Cardinalibus, quorum unus munus agit Praefecti. His succedunt Praelatus a secretis et subsecretarii tres, qui maiores sunt administri et una simul cum cardinali Praefecto Congressum constituunt. Praeter hos habentur plures consultores ab ipso Pontifice delecti et sufficientes numero administri minores.

Ratio constituendi tres subsecretarios exinde deducta

est, quod legislatori, ut negotia facilius procederent, visum est, Congregationem hanc in tres partes dividere. Unicuique parti unus e subsecretariis immediate praeest.

48. Competentia. — Ea clarissime describitur in ipsa constitutione, cuius haec sunt verba:

" Est huic Sacrae Congregationi proposita universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis Sancti Officii, secundum ea, quae superius statuta sunt, et Sacrorum Rituum Congregationis circa ceremonias, quae in sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

Itaque eidem Congregationi tribuuntur ea omnia, quae huc usque ab aliis Congregationibus, Tribunalibus aut Officiis Romanae Curiae decerni concedique consueverant tum in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio prolis; tum in disciplina aliorum sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae ad moderandam eorumdem ordinationem; dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones eucharistiae sumendae, sacri litandi, asservandi augustissimi Sacramenti; aliaque id genus.

Quaestiones quoque de validitate matrimonii vel sacrae ordinationis, aliasque ad sacramentorum disciplinam spectantes, eadem Congregatio dirimit, incolumi iure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad Sacrae Romanae Rotae tribunal remittat „.

Quum autem haec congregatio in tres partes distributa sit, ut superius innuimus, unicuique parti specialis negotiorum ratio tributa est, prout sequitur.

49. — Prima pars ea omnia tractat, quae pertinent ad petitiones circa matrimonii impedimenta.

Quoad has matrimoniales dispensationes quaedam sunt notanda ex Normis peculiaribus, quae in aliquibus immutant disciplinam hucusque receptam.

Dispensationes ab impedimentis distinguuntur in duplicem classem, in dispensationes scilicet *gradus minoris* et dispensationes *maioris gradus.*

Dispensationes gradus minoris sunt dispensationes ab impedimentis:

a) Consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti gradus lineae collateralis, sive aequalis sive inaequalis, hoc est quarti gradus mixti cum tertio vel tertii mixti cum secundo;

b) Affinitatis in primo gradu et in secundo simplici vel mixto cum primo, ubi hoc impedimentum ex illicito commercio procedat;

c) cognationis spiritualis cuiusvis generis;

d) publicae honestatis sive per sponsalia sive per matrimonium, super quod iam dispensatum sit fueritque solutum.

Impedimenta maioris gradus alia sunt omnia. Dispensationes tamen, quae ab his concedi solent, legitima interveniente causa, sunt dispensationes ab impedimentis:

a) consanguinitatis secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis;

b) affinitatis primi et secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis;

c) criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii.

Circa has dispensationes illud in praxi magni momenti notandum est, quod in nova constitutione statuitur, scilicet, si agatur de dispensationibus minoris gradus, eas concedi *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis,* idest sine aliqua causa canonica ex communiter recensitis, et ita ut vim habeant ac si ex motu proprio et ex certa scientia impartitae essent. Quare nulli erunt, ut loquitur

ipsa constitutio, impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis.

Circa quod tamen nota, ius novissimum huic clausulae " ex motu proprio „ aliquam maiorem tribuere vim, quam ea fuerit, quae hucusque vigebat. Prius enim iuxta Doctores haec clausula sanabat quidem vitium subreptionis (*c. 23 de praebendis, etc.*, X. [*III, 4*] *in 6°; c. 4 de praebendis, etc.* [*III, 2*] *in Clem.*), non autem obreptionis. Barbosa *de clausulis claus. 79, n. 22;* Reiffenstuel *in tit. 3, lib. I. Decr. n. 207.*

Haec autem non valent pro dispensationibus maioris gradus, ad quas concedendas requiritur, ut antea, causa quaedam canonica, quae ab oratoribus exprimenda est et a S. Congregatione cognoscenda. Sacra autem Congregatio non intelligitur dispensationem concedere, nisi petitio immunis sit a quocumque obreptionis aut subreptionis vitio. Ex dictis patet ad dispensationes matrimoniales pro foro externo concedendas ex nova constitutione unice habilem esse et capacem hanc S. Congregationem de sacramentis, exclusa Dataria et Poenitentiaria, cui tamen manet adhuc exclusivum ius concedendi tales dispensationes pro foro interno.

50. — Altera pars, exclusis iis, quae referuntur ad dispensationes ab impedimentis, omnia alia pertractat ad matrimonium spectantia, qualia sunt sanationes in radice, restitutiones natalium, petitiones dispensationis a matrimonio rato et non consummato, dubia quoad ius matrimoniale, quaestiones de validitate aut nullitate alicuius matrimonii idest quaestiones de iustis aut irritis coniugiis et alia huiusmodi.

Quae omnia clara sunt, si tamen unum excipias. Illud scilicet, quod hic asseruimus, referentes ipsa verba, quae habentur in Normis peculiaribus, quaeque repetunt ea, quae habentur in ipsa constitutione, ubi dicitur: " Quaestiones quoque de validitate matrimonii... eadem congre-

gatio dirimit, incolumi iure S. Officii „. Difficultas enim exinde nasci potest. Quomodo enim sacra haec Congregatio dirimere potest huiusmodi quaestiones, quae natura sua expostulant tractationem iudiciariam; iudicialiter autem procedere Congregationes prohibentur?

Et quod causae matrimoniales requirant ordinem iudiciarium, si nempe agamus, ut in praesenti, de causis validitatis aut nullitatis, per se patet, quia hae respiciunt bonum publicum. In his autem, quibus vertitur bonum publicum, non potest procedi ex aequo et bono, sed strictus iuris ordo servandus est (1). Iuris autem ordine stricte servato ex praesenti constitutione non proceditur nisi in tribunalibus, hoc est in S. Rota aut Apostolica Signatura, non autem in SS. Congregationibus.

Neque dicendum videtur, ideo has causas de valore matrimoniorum hic fuisse inter munia huius Congregationis recensitas, quia, si partium adsit consensus, causae etiam, quae requirerent ordinem iudiciarium videri possunt a SS. Congregationibus; inter varias autem Congregationes Sacra haec Congregatio unice ratione materiae quoad istas causas competens est. Nam verum quidem est in Normis peculiaribus cap. III, n. 10 dici: " Quaestione semel instituta penes Congregationem aliquam administrationis ac disciplinae tramite, *et a partibus admisso aut saltem non recusato* hoc agendi modo, his iam non licet eadem de causa actionem stricte iudicialem instituere „; ex quo facile eruitur, supposito consensu partium sive explicito sive implicito, ss. Congregationes, non immutato suo procedendi modo, videre posse causas etiam, quae non respuerent tractationem mere iudicialem. Attamen hoc non procedit, quando agitur de rebus, quibus vertitur bonum

(1) Hinc non possum convenire cum Leitner (*loc. cit.*) dicente: " E. gr. si agatur de matrimonio, quod impugnatur ob clandestinitatem, ob vim et metum, incedi potest via vel disciplinari vel contentiosa. Iudicium utra via sit eligenda, est penes ipsam S. Congregationem „.

publicum. Tunc enim ex principalibus ipsis principiis iuris admitti non potest ut voluntas partium contendentium immutare possit ea, quae legislator boni communis amore ductus statuit et sancivit. Voluntas partium tunc tantummodo potest hanc vim merito habere, quum de mero agitur privato interesse. Exinde est, quod arbitrium non admittitur in causis matrimonialibus, quemadmodum docemur expresse in cap. 9 de in integrum restitut. X. (I, 41), sed eae videndae sunt per iudices discretos, qui potestatem habeant *iudicandi*, ut dicitur in cap. 1° de consanguinitate et affinitate X. (IV, 14). Quae concordant cum iis, quae iure romano statuta erant lege 32 de receptis qui arbitrium etc. D. (IV, 8) § 6, ubi dicitur: " Iulianus indistincte scribit: si per errorem de famoso delicto ad arbitrum itum est, vel de ea re, de qua publicum iudicium sit constitutum, velut de adulteriis, sicariis et similibus, vetare debet Praetor sententiam dicere, nec dare dictae exsecutionem „. Quorum rationem reddit Glossa: " Quia matrimonium Deo auctore fuit institutum et ita non potest dissolvi quoad ecclesiam, nisi per illum, qui habet auctoritatem cum iurisdictione, quam non habet arbiter „, imo nec habent SS. Congregationes, quippe quae organa administrativa sunt, quae potestatem habent administrativam, non autem stricte dictam iurisdictionem, quae nil aliud est nisi potestas iudiciaria.

Quomodo igitur sustinentur ea, quae superius attulimus ex constitutione ipsa " Sapienti consilio „ et ex Normis peculiaribus? Scilicet, nisi totus fallor, ea optime dicta sunt, sed nullo modo important facultatem huic S. Congregationi de sacramentis factam videndi causas de valore aut nullitate matrimonii, sive nolentibus sive etiam volentibus et petentibus partibus. Meo quidem iudicio, ea verba hoc tantum important, scilicet materiam hanc ad competentiam huius S. Congregationis spectare eo sensu, quod si quando aliqua huiusmodi causa directe ad S. Sedem deferretur, eamque Pontifex nollet ad S. Rotam re-

mittere ob aliquas peculiares rationes, sed iudicaret remittendam ad S. Congregationem competentem, ea consideranda esset S. Congregatio de sacramentis, quae, quum de re matrimoniali agat, aptior est ad hoc ut delegetur ad cognitionem harum causarum. Quare optime videtur mihi statutum in ipsa constitutione:

Quaestiones quoque de validitate matrimonii vel sacrae ordinationis aliasque ad sacramentorum disciplinam spectantes eadem Congregatio dirimit, incolumi iure S. Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad Sacrae Romanae Rotae tribunal remittat.

Causas autem matrimoniales de valore vinculi iudiciario ordine tractandas esse necessario iudicare debet S. Congregatio, tum ex ipsa natura rei tum ex praescriptis iuris, quas proinde omnes ad Rotam remittere debebit. Nisi tamen, et hoc aliud videtur mihi innui in citatis verbis constitutionis, de futili ex. gr. causa agatur. Scilicet Congregatio haec veram quamdam harum causarum tractationem assumere non potest, sed ea, quae sunt ad tractationem iudicialem praevia, potest ipsa, si casus datur, videre. Ex. gr. coram ea intentatur actio seu accusatur matrimonium ab eo, qui nullum ius accusandi habet, S. Congregatio poterit causam reiicere et declarare actorem esse illegitimum, qui proinde nullam habet personam standi in iudicio. In his videri potius potest exercitium potestatis administrativae, quam stricte iudicialis.

51. — Et hoc quidem, spectatis iuris principiis, dicendum est de causis matrimonialibus, in quibus agitur de valore vinculi. Aliud dicendum est de causis matrimonialibus, in quibus agitur de petitione dispensationis a matrimonio rato et non consummato. In his enim agitur de petitione gratiae, ad quam petendam non potest recurri ad tribunalia seu ad iudiciariam potestatem, sed debet haberi re-

cursus ad potestatem administrativam. Quamvis enim in his probari debeat factum inconsummationis et exsistentium causarum, hoc tamen non fit nisi in ordine ad probandum tales dari circumstantias in casu, quae possibile faciant in Romano Pontifice exercitium potestatis dispensandi. Porro talis probatio facti non requirit necessario viam et tramitem iudiciarium, sed fieri etiam potest extraiudicialiter. Hinc convenientissime constitutio nostra has dispensationes a matrimonio rato et non consummato, loquens de hac Congregatione, enumerat sub numero secundo, quando agit de iis, quae potius important potestatem quamdam gratiosam, non autem sub numero tertio, ubi agitur de causis seu potius recursibus, quos ea videre potest; et praeterea facultatem facit Congregationi ut ad S. Rotam remittat cognitionem facti de inconsummatione.

52. — Ex quibus omnibus adnotari etiam velim, quomodo intelligenda sunt ea, quae habentur in Normis peculiaribus cap. III, n. 7, ubi dicitur:

> In causis apud Ss. Congregationes administrationis ac disciplinae tramite agitandis, remota litis contestatione, exclusa auditione testium, nullisque scriptis patronorum receptis habebitur quaestio.

Haec scilicet non ita intelligenda sunt, ut existimandum sit Congregationes nullo modo posse testes audire, ex quorum attestatione cognoscant veritatem rei, de qua agitur; sed solummodo ipsis inhibitam esse auditionem testium iudiciariam. Primum asserere esset aperte ius calumniari eiusque verba captare, quod faciendum non esse monet nos Paulus iurisconsultus in lege 19 ad exhibendum D. (X, 4); esset enim legem reducere ad absurdum, quum secundum hanc interpretationem deberent Congregationes aliquando iudicium suum proferre in casibus particularibus, non autem solum theoreticis, et non possent

uti mediis naturalibus ad cognoscendam veritatem rei, quae est obiectum suae decisionis suique examinis. Quod autem vere in loco citato quaestio sit de auditione iudiciaria testium patet ex contextu, quia hae voces interseruntur aliis, quae de rebus iudiciariis evidenter tractant, idest de contestatione litis et de admissione scriptarum defensionum alicuius patroni. Quare Ss. Congregationes non debebunt admittere productionem testium a partibus factam vel eorum reprobationem sive per novos testes reprobatorios, sive per testes reprobatoriorum reprobatorios, sed non prohibentur interrogare personas quasdam fide dignas sive ex officio sive etiam ad instantiam partium, quae ipsam S. Congregationem edocere possint de rei veritate. Diximus in superioribus ex ipsa nostra constitutione, debere S. Congregationem de Sacramentis et in genere sacras omnes Congregationes ad Rotam remittere causas, quae iudiciario ordine sunt tractandae. Circa hoc quaedam exsurrexit practica difficultas. Ex una enim parte videbantur causae huiusmodi a Congregationibus ad Rotam remittendae iure proprio, nulla interveniente licentia, nullo requisito consensu Rom. Pontificis; quum et ex iis, quae constitutio hic dicit de Congregatione de sacramentis (tunc eas ad S. Romanae Rotae tribunal remittat), et ex iis, quae eadem constitutio habet circa hoc, quando de S. Congregatione Concilii loquitur (cetera — idest ea, quae non sunt pertractanda in linea disciplinari — ad S. Rom. Rotam erunt deferenda) videbatur asseri ius quoddam in S. Congregationibus has remissiones faciendi iure proprio. Ex alia autem parte contrarium videbantur suadere ea, quae de competentia Rotae in Lege propria tit. 1, cap. 2, can. 14, § 1 statuta sunt, quum dicitur: "S. Rota iudicat in prima instantia causas, quas sive motu proprio sive ad instantiam partium *Romanus Pontifex* ad suum tribunal avocaverit et S. Rotae *commiserit;* easque, si opus sit, ac nisi aliter cautum sit in *commissionis* rescripto, iudicat etc. „ Porro Romanus Pontifex probe distinguitur a Congrega-

tionibus Cardinalium, nec rescriptum aliquod *remissionis* confundi potest cum rescripto *commissionis*, quod ibidem requiritur. Quapropter S. Rotae Decanus petebat ut hae causae ad S. Rotam remitterentur ex rescripto quodam commissionis ab ipso Rom. Pontifice proveniente. Quaestio, ut superius retulimus, delata est ad S. Congregationem Consistorialem, quae ad dubium: " Utrum causae, quae formali sententia, saltem primi gradus carent et ad Ss. Congregationes delatae sunt, remitti possint iure proprio ab ipsis sacris Congregationibus ad S. Rotam, an potius id ipsis liceat per rescriptum commissionis de mandato SSmi, „ respondit die 28 ianuarii ann. 1909: " Exceptis causis dispensationis super matrimonio rato, quas S. Congregatio de Sacramentis potest iure proprio remittere ad S. Rotam, ut de facto inconsummationis videat, negative ad primam partem: affirmative ad secundam, cauto ut in commissionis rescripto normae praefiniantur, quibus processus, si deficiat, instruatur „.

Et iure merito, ut deducitur ex Normis peculiaribus cap. 1, n. 3, et attendenti patet.

53. — Tertia pars agit de sacramentis aliis omnibus, matrimonio excepto.

Huic parti non solum proinde competit quaestiones videre de validitate sacrae ordinationis aliasque ad sacramentorum disciplinam spectantes, exceptis quaestionibus de matrimonio; sed etiam dispensationes concedere, quae ad disciplinam pertinent sacramentalem, ut dispensationes ordinandis concedendae et aliae similes. Earum quarumdam, ne ambiguitates aut dubia intercedant, catalogus texitur in Normis peculiaribus et est sequens:

a) adservandi ssmam eucharistiam in templis aut in sacellis eo iure carentibus;

b) celebrandi Sacrum in sacellis privatis, et cetera largiendi privilegia, quae in hac re concedi solent, ipsius decori sacelli advigilans;

c) erigendi altaris ad litandum sub dio;

d) celebrandi ante auroram et post meridiem;

e) legendi Missam feria V in Coena Domini, itemque tres Missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis privatis, cum distributione SSmae Eucharistiae;

f) utendi pileolo vel capillamento in celebratione Missae aut in deferenda SSma Eucharistia;

g) coeco aut coecutienti ut litare possit cum facultate legendi missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis;

h) celebrandi Sacrum in navibus;

i) Episcopum consecrandi die alio ab iis, qui in Pontificali Romano statuti sunt;

k) sacros Ordines extra tempora conferendi;

l) eximendi fideles, ipsosque sodales religiosos, quoties opus sit, a lege ieiunii eucharistici.

Modus procedendi. — Nihil hic habet speciale, nisi in quantum distinguit negotia, quae iudicio reservantur plenae Congregationis, et negotia, quorum expeditio pertinet ad Congressum. Plene autem haec indicantur in Normis peculiaribus, in quibus sequentia statuuntur:

Plenae Congregationis iudicio reservatur:

a) in re ad matrimonium pertinente, examen petitionum dispensationis ab impedimentis difficultatem non communem exhibentibus, sive ea exsurgat ex natura rei sive ex dubio de legitima dispensandi causa; separatio coniugum non pacifica; sanationes in radice; natalium restitutiones difficilioris negotii. cognitio causarum irriti matrimonii ac dispensationum super matrimonio rato, quae plenae Congregationis iudicium postulent; denique dubia omnia iuris circa disciplinam sacramenti matrimonii, quibus obvia et perspicua solutio nulla inveniatur in causis alias decisis, prout superius dictum est;

b) in ceteris Sacramentis, quaestiones omnes disciplinam spectantes, quarum flagitetur solutio, si haec in sententiis iam probatis et in rebus alias iudicatis nulla habeatur; item petitiones gratiarum ac dispensationum non communium, quae a Congressu disceptatione digna videantur. Quapropter plenae Congregationi competent dispensationes ab irregularitate ad sacram

Ordinationem in casibus dubiis vel difficilioribus, aut ubi impetrata gratia in dedecus cessura sit ecclesiastici coetus; supplices libelli circa irritam sacram Ordinationem aut circa eiusdem obligationes. aut ab his exemptionem, ubi causa solo disciplinae tramite tractanda sit; quaestiones iuris de loco, tempore, conditionibus ad Sacrum faciendum, ad ipsum geminandum, ad recipiendam adservandamque Eucharistiam necessariis; item de loco, tempore. conditionibus ab ecclesiastica disciplina requisitis ad cetera Sacramenta legitime ministranda et recipienda; simulque petitae hac de re dispensationes extraordinariae.

Ad Congressum pertinet iudicium de rebus ad plenam Congregationem deferendis, eorumque omnium instructio quae habendo consilio afferant lucem, sive institutis de facto investigationibus, sive exquisitis unius alteriusve Consultoris, aut etiam omnium, sententiis.

Eidem Congressui iudicare licet, atque etiam concedere, pro facultatibus quas Pontifex Maximus Cardinali Praefecto et Praelato a secretis tribuendas censuerit, dispensationes ab impedimentis matrimonii, ad normas inferius exhibendas.

Pariter ad Congressum pertinet ab aetatis ac tituli defectu dispensationes clero saeculari concedere; ab eucharistico ieiunio dispensare; permittere ut Augustum Sacramentum adservetur in ecclesiis et oratoriis quae hoc iure carent, et ut sanctum sacrificium celebretur in privatis sacellis, in iis casibus quibus huiusmodi gratiae impertiri solent, ad vigentis disciplinae normas et secundum communem legem superius memoratam.

§ 5. — De Congregatione Concilii.

Thesaurus resolutionum S. Congr. Concilii (ab anno 1718). — Cohellius, Opus cit., Congr. VI super exsecutione et interpretatione Sacri Concilii Tridentini. — Lunadoro, Op. cit., cap. 10 della Congregazione del Concilio e della Congregazione particolare sullo stato delle chiese, del segretario e di altri ministri di dette congregazioni. — Fagnanus, Comm. in quinque libros Decretalium, in cap. *Quoniam de constitutionibus*, Venetiis, 1674. — De Luca, Il cardinale pratico; della Congr. del Concilio di Trento. — Danieli, Op. cit., in hunc tit. — Mühlbauer, Thesaurus resolutionum S. Congr. Concilii usque ad annum 1871. Monachii, 1872 (opus incompl.). — Zamboni, Collectio declarationum S. Congr. Card. Conc. Trid. interpretum.

Romae, 1816. — Gamberini A., Resolutiones selectae S. Congr. Concilii, quae consentanee ad Trid. PP. decreta aliasque iuris canonici sanctiones prodierunt in causis propositis per summaria precum, ann. 1823-25. Urbev. 1842. — Stremler, I. Traités des peines eccl., de l'appel et des Congrég. rom. Paris, 1860. — Moroni, Op. cit., loc. cit., Congregazione del Concilio. — Richter-Schulte, Canones et decreta Concilii Tridentini. Lipsiae, 1853. — Pallottini, Coll. omnium conclusionum et resolutionum, quae in causis propositis apud S. Congr. Cardinalium prodierunt ab anno 1564 ad annum 1860. Romae, 1868 sqq. — Lingen-Reuss, Causae selectae in S. Congr. Card. Conc. Trid. interpr. propositae per summaria precum ab anno 1823 usque ad annum 1869, 1871. — Parayre B., La S. Congrégation du Concile, 1897. — Sägmüller, Die Geschichte der Congr. Conc. Trid. vor d. Motuproprio "Alias nos„ v. 2 aug. 1564, im Arch. f. k. KR. LXXX, 1. ff. 1900. — Sägmüller, Die visitatio liminum SS. Apostolorum bis Bonifaz VIII in Theol. Quartalschr. LXXXII, 69 ff. 1900.

54. Institutio. — — Concilium tridentinum sess. XXV in fine (*de recipiendis et observandis decretis*) inter alia haec habet: " Quod si in his (decretis) recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quae declarationem, quod non credit, aut definitionem postulant, praeter alia remedia in hoc Concilio instituta, confidit S. Synodus beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis praesertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam concilii generalis celebratione, si necessarium iudicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus pro Dei gloria et Ecclesiae tranquillitate consulatur „. Romanus Pontifex ut desiderio Concilii faceret satis, duo adhibuit remedia, negativum unum, alterum positivum. Ad negativum remedium adhibendum adductus est exemplo Iustiniani, qui Digestis suis vel Pandectis adnotationes fieri prohibuit. *l. 1, § 12, l. 2, § 21 de vetere iure enucleando, etc. C.* (*I, 17*). Permisit tantummodo Iustinianus, ut possent, si qui vellent " eas (Pandectas) in graecam vocem transformare, sub eodem ordine eaque consequentia, sub qua et voce romana po-

sitae sunt... et ea, quae paratitla nuncupantur, componere „ *l. 2, § 21 nuper cit.* Pius IV maiori etiam rigore in hoc usus est. Prohibuit enim, gravibus comminatis poenis, " ne quis sine auctoritate nostra audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quocumque modo edere aut quidquam quocumque nomine, etiam sub praetextu maioris decretorum corroborationis aut exsecutionis, aliove quaesito colore, statuere „. *Const.* "*Benedictus Deus„ VII kal. febr. a. 1563.* Ratio autem, quae ad hoc Pontificem induxit eadem est ac ea, quae ad idem induxerat Imperatorem. Nam quemadmodum Iustinianus asserit (*l. 1, § 12 cit.*) se id fecisse ut commentatores non auderent " verbositate sua supradicti codicis compendium confundere, quemadmodum in antiquioribus temporibus factum est, quum per contrarias interpretantium sententias totum ius paene conturbatum est „; ita etiam Pius IV (*Const. cit.*) profitetur se hoc facere " ad vitandum... perversionem et confusionem, quae oriri posset, si unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilii commentarios et interpretationes suas edere „. Attamen fatendum est quoad hoc neque Imperatorem neque Pontificem id obtinuisse, quod praescripserunt. De Iustiniano haec habet Krueger (*Histoire des sources du droit romain*, traduit de l'allemand par Brissaud, Paris, 1894): " En tous cas, ces lois ne tardèrent pas à être violées par les savants, quoique des peines fussent édictées contre ceux, qui ne les respecteraient point. Elles ne pouvaient manquer d'être réduites à l'état de lettre morte, parce qu'il était impossible de soumettre à des restrictions du même genre les leçons sur les nouveaux recueils législatifs, et rien ne s'opposait à la divulgation des notes d'étudiants. On trouve, il est vrai, des œuvres faites en conformité avec les précédentes dispositions, mais c'est l'exception; d'ordinaire, on ne les respecta qu'en apparence „. Quoad Pontificem sufficiat in memoriam revocasse opus Barbosae Aug. *Collectanea eorum*

doctorum, qui in suis operibus, Conc. Tridentini loca referentes, illorum materiam incidenter tractarunt; et opus Card. Io. Bapt. De Luca, *Adnotationes ad Sacr. Concilium tridentinum.* Alterum remedium, quo Pontifex usus est ad satisfaciendum Concilio, fuit positivum. Evidens enim erat, surrecturas difficultates et dubia non pauca circa interpretationem decretorum Concilii, quae solvere necesse erat et quidem authentica quadam interpretatione. Eam sibi reservavit Pontifex, etiam in hoc Iustiniani exemplum secutus. Nam sicut Imperator edixerat ut " si quid (in Pandectis)... ambiguum fuerit visum, hoc ad imperiale culmen per iudices referatur et ex auctoritate augusta manifestetur, cui soli concessum est leges et condere et interpretari „ (*l. 2, § 21 cit.*); ita etiam edixit Pontifex: " Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum et statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione aliqua aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apostolicam, omnium fidelium magistram, cuius auctoritatem etiam ipsa S. Synodus tam reverenter agnovit „.

Ea autem motus sanctissima voluntate, qua flagrabat, ut decreta Concilii exsecutioni mandarentur, motu proprio " Alias nos „, quem anno insequenti post promulgatam constitutionem supra citatam IV non. aug. a. 1564 publicavit, octo deputavit cardinales, qui curarent ut decreta Concilii in praxi et de facto servarentur, sed simul confirmavit id, quod in constitutione statuerat, tribuens scilicet cardinalibus deputatis amplissimas facultates " nisi tam in exsecutione dictorum decretorum Concilii quam dictarum litterarum nostrarum aliqua dubietas aut difficultas emerserit, quo casu ad Nos referant „. Hoc fuit primum initium Congregationis Concilii, quae primitus in motu proprio Pii IV dicta est proinde *Congregatio super exsecutione et observantia S. Concilii Tridentini.*

Congregatio haec, quae ad urgendam exsecutionem decretorum Concilii exclusive fuerat instituta, advenientibus

postea dubiis theoreticis circa eorum decretorum interpretationem, consulta est super his a Pontificibus maximis, ab ipso scilicet Pio IV, et postea ab eius successore Pio V et a Gregorio XIII, imo interpretationes quasdam mere theoreticas dedit Congregatio ipso Pontifice inconsulto, ut constat ex libris litterarum et decretorum Congregationis, qui in archivo eiusdem Congregationis asservantur, quorum primus continens litteras ab anno 1564 ad annum 1566 publici iuris factus est, ut adnotavit Lingen et Reuss in prolegomenis ad suum opus valde praestans et utile: „*Causae selectae in S. Congregatione Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum propositae per summaria precum ab anno 1823 usque ad annum 1869, Ratisbonae, 1871*„.

Quum autem dubitatum esset de valore harum interpretationum et de facultate Congregationis eas edendi ob prohibitionem a Pio IV factam, „S. Pius V (ait Fagnanus *in cap. 13 de constitutionibus X.*) indulsit eidem, ut posset decidere casus, quos tamquam claros putaret decidendos, quos vero tamquam dubios existimaret referendos, Sanctitati Suae referret, quod in eam usque diem fecerat: moxque ipsi Congregationi ampliores etiam facultates pro decidendis causis et controversiis Concilii interpretationem concernentibus, idem S. Pius V attribuit, ut in libris eiusdem Congregationis adnotatum reperitur manu Cardinalis Carafae. Crescente vero causarum et negotiorum mole, quae ex omnibus terrae partibus ad eam confluebant, constitutum est ut pro faciliori expeditione quatuor Cardinales ex corpore generalis Congregationis delecti frequentius convenirent sub nomine Congregationis particularis. Quam quidem Congregationem Gregorius XIII die 8 maii 1576 declaravit in praeteritum potuisse et in futurum posse expedire casus alias decisos in Congregatione generali, atque etiam eos, quos pro claris haberet ex omnium sententia. Post haec idem Sixtus V in Bulla, quae incipit *Immensa aeterna Dei*, § Deo autem Patri, edita II kal. febr. 1587 eorum quidem decretorum, quae ad fidei dogmata

pertinent, interpretationem sibi reservavit, ac postea subdit: — Cardinalibus vero praefectis interpretationi et exsecutioni Conc. Tridentini, si quando in his, quae de morum reformatione, disciplina ac moderatione et ecclesiasticis iudiciis aliisque huiusmodi statuta sunt, dubietas aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem, nobis tamen consultis, impartimur. — Ac deinde attribuit eidem Congregationi alias facultates „.

Exinde est, quod Sixtus V in constitutione sua Congregationem hanc iam non nominat appellatione adhibita prius a Pio IV, sed eam dicit " Congregatio pro exsecutione et interpretatione Concilii Tridentini „. Attamen non est silentio praetereunda adnotatio, quam hic addit Haine (*Synopsis S. R. E. Cardinalium Congregationum, Lovanii, 1857, tit. V*), scilicet ante hanc quoque constitutionem Sixtinam Cardinales istius Congregationis vocatos fuisse Concilii Tridentini interpretes, quemadmodum eorum Congregatio dicta fuerat Congregatio interpretum Concilii tridentini, ut praeter alia constat ex litteris 27 maii 1571 datis pro confirmatione primae Synodi Mechliniensis, in quibus dicitur: " Cum amplissimorum Patrum S. Concilii Trid. Interpretum ordo provincialem synodum Mechliniensem nobis seorsim tribus inspiciendam atque discutiendam dederit, etc. „

Postea Gregorius XIV per litteras in forma Brevis eidem Congregationi auctoritatem dedit rescribendi nomine ipsius Pontificis.

55. Constitutio. — Quemadmodum aliae omnes Congregationes, ita et haec Cardinalibus constat, qui ab initio ex Constitutione Pii IV octo fuerunt, quibus paullo post quatuor alii additi sunt. Numerus cardinalium postea maior generatim fuit, semper tamen varius pro arbitrio Romani Pontificis. Ita anno 1870 Congregatio constabat 37 cardinalibus, nunc post constitutionem novam Pianam 22 com-

ponitur (1), quorum quidam (nunc septem) extra Urbem resident, et proinde eius potius titulum habent quam officium. Unus Cardinalium a Pontifice electus munus gerit Praefecti.

Post Cardinales habetur Secretarius, qui immediatam habet officialium omnium et negotiorum directionem. Iam inde ab antiquis temporibus viri praestantissimi huic muneri Secretarii huius Congregationis, quae tractat negotia, ad quorum cognitionem maxime necessaria est scientia iuris, praefecti sunt. Sufficiat in memoriam revocasse Prosperum Fagnani, Vincentium Petra, qui commentaria edidit insignia in constitutiones apostolicas ac tractatum de sacra poenitentiaria apostolica, et Prosperum Lambertini postea Benedictum XIV.

Secretarium adiuvat subsecretarius et inferiores alii administri.

Huic Congregationi consultores hucusque fuerunt nulli; consultores enim, qui habebantur, et vulgo veniebant nomine consultorum S. Congregationis Concilii, non erant de iure consultores ipsi Congregationi addicti, sed erant consultores adiuncti Cardinalibus, qui efformabant congregationem specialem ex ipsa Congregatione Concilii desumptam pro revisione conciliorum provincialium; quae congregatio a Pio IX anno 1849 instituta est. De facto tamen consultores hi vere munus suum exercebant pro omnibus negotiis huic S. Congregationi demandatis et praesertim pro causis matrimonialibus, in quibus, si quando oeconomice tractabantur, uni vel duobus aut etiam, rarissime quidem, tribus ex ipsis semper committebatur munus conscribendi votum pro rei veritate. Haec Congregatio specialis nova nostra constitutione abolita est, et proinde etiam consultores eidem adiuncti cessarunt.

Novae Congregationi Concilii ex praescripto pianae

(1) Unus nuper emus card. Cretoni demortuus est.

constitutionis collegium consultorum datum est, qui a Summo Pontifice eligi debent, et quorum aliqui probati debent esse temporalium etiam rerum gerundarum peritia. Cessatis antiquis consultoribus, novi hi consultores statim a publicata constitutione noviter constituti sunt.

56. Competentia. — Quum Congregatio haec instituta fuerit ad urgendam exsecutionem decretorum Concilii tridentini, hoc autem Concilium de omnibus fere egerit, quae ad disciplinam ecclesiasticam spectant, patet quomodo ambitus iurisdictionis istius Congregationis amplissimus fuerit et quomodo ea concurrerit cum plerisque aliis Romanis Congregationibus, praesertim cum Congregatione Episcoporum et Regularium. Hoc etiam sibi proprium habuit haec Congregatio ut omnes causas matrimoniales, postquam Rota siluit, ipsa videret, quum hae relationem haberent ad ea, quae Concilium tridentinum decreverat in sessione XXIV de reformatione matrimonii. Excipiebantur causae, quae proveniebant sive ex privilegio Paulino sive ex impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis, quae Congregationi S. Officii erant demandatae.

57. — Dixi causas matrimoniales huic Congregationi demandatas fuisse, postquam Rota siluit. Nam quum Rota suum exercebat munus et redacta non erat fere ad simplex quoddam nomen, aliud dicendum erat. Et de facto circa hoc De Luca (*loc. cit. disc. XV*) haec habet: " De materia matrimoniali quoque in ista Congregatione frequenter agi solet, utpote dependente a plerisque decretis conciliaribus tam circa formam contrahendi quam circa impedimenta resultantia a vinculo consanguinitatis vel affinitatis aut ab altero publicae honestatis, sive a raptu cum similibus; decidendo etiam casus particulares contentiosos, vel ex mutuo partium consensu, ubi praesertim quaestio restringatur ad solum punctum iuris vel ad interpretationem decretorum Concilii; vel quod partium inopia ita exigat ut

litem in iudicialibus tribunalibus per tramites iuris cum tela iudiciaria sustinere non valeant; vel quod ita Papa ex aliqua iusta causa mandet, praesertim pro evitandis scandalis, quae in huiusmodi controversiis oriri solent, quando cum iudicii tela vel formalitate aguntur. Extra enim istos casus tam in ista materia matrimoniali, quam in quibuscumque aliis, ad eiusdem Sixtinae constitutionis praescriptum, generaliter sacrae Congregationes, una partium reluctante, non agunt causas contentiosas, quae processum formalem cum probationibus hinc inde faciendis exigant, ideoque ad iudices ordinarios istae causae ab eisdem Congregationibus remitti solent; quod tamen quandoque non practicatur pro Congregationum arbitrio „.

Agebat praeterea haec S. Congregatio de residentia episcoporum, de reductione missarum, de restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii pro reclamatione contra valorem professionis religiosae, de dispensatione ab irregularitatibus, de visitatione liminum facienda ab episcopis, de validitate unionum beneficiorum aut parochiarum aut de harum dismembratione ac divisione et de aliis huiusmodi.

Praeter haec eius competentiae erat interpretatio theoretica decretorum Concilii tridentini, quae imo eidem erat exclusiva, seu singularis et privativa.

Huic Congregationi a Benedicto XIV constitutione sua " Decet Rom. Pontificem „ 15 sept. 1740 addita est commissio praelatorum super examine relationum ordinariorum de statu diocesium.

58. — Hodierna competentia huius S. Congregationis, ea scilicet, quae resultat ex nova constitutione, partim restricta est, partim ampliata.

Restricta quidem est, quia iam eius competentia ad lineam disciplinarem est coarctata, nec ullo modo causas contentiosas agere potest, nisi de mutuo partium consensu, quemadmodum de omnibus aliis Congregationibus dictum

est. Sed et praeterea quia multa ab ea sublata sunt, in quibus poterat se immiscere ratione Concilii tridentini aliquid de iis statuentis, ut sunt ea, quae ad sacramenta pertinent, ea, quae pertinent ad regulares, causae matrimoniales et alia huiusmodi.

Ampliata etiam est, quia ea omnia, quae pertinebant ad Congregationem Episcoporum et Regularium, pro ea parte, quae ad negotia episcoporum spectabant, ad ea sunt devoluta. Negotia autem, quae ad Congregationem Episcoporum et Regularium spectabant, in quantum ea erat *Episcoporum congregatio* — ut eam vocat Fagnanus (*in cap. 13 de const. X. I, 2 n. 37*), asserens Gregorium XIII protestatum fuisse sibi numquam mentem fuisse committendi Episcoporum congregationi, ut de iis, quae ad interpretationem Concilii tridentini pertinerent aut de ipsis Congregationis Concilii decretis cognosceret; sed haec omnia commisisse Congregationi Concilii (1) — vel *Congregationi super consultationibus episcoporum et aliorum praelatorum*, ut eam melius ordinans vocavit Sixtus V in sua constitutione "Immensa„, quamplurima erant et maximi momenti. Propter haec praecipue negotia Congregatio Episcoporum et Regularium tantum habuit pondus, ut de ea affirmare potuerit De Luca (*loc. cit. disc. XVI, n. 3*): " Quae propterea quoad negotia curialia fori ecclesiastici, quae non concernunt fidem, sed ad christianae reipublicae regimen spirituale pertineant, videtur omnium maior ideoque maiorem habere solet numerum Cardinalium ob maiorem negotiorum multiplicitatem „. Et paullo post (*n. 24*): " Habet etiam ista Congregatio latas habenas, agendi etiam de illis negotiis, quae aliarum congregationum peculiaria sunt, unde propterea (ut Urbanus VIII dicere solebat) ista

(1) Tum ex hoc, tum ex eo quod ante Gregorium XIII Episcoporum Congregationis nullibi mentio habetur, merito inferunt generatim auctores, Gregorium XIII huius congregationis auctorem fuisse et institutorem.

videtur Congregatio quodammodo universalis, exceptis causis, quae directe fidei quaestiones concernant, sive formalem interpretationem Concilii tridentini: in reliquis enim, licet adsit dicta Congregatio Concilii, attamen de iis, quae concernunt exsecutionem vel observantiam eiusdem Concilii eiusque decretorum cognoscit; prout etiam, licet adsit Congregatio Rituum, cuius peculiare munus est cognoscere ac decidere controversias super praecedentiis aliisque ecclesiasticis praeeminentiis inter clericos saeculares et regulares, ac etiam super iis, quae praetendantur per laicos in functionibus ecclesiasticis, adhuc tamen ista Congregatio istas causas cognoscit; ideoque privativa singularis cognitio dictae Congregationis Rituum versatur in praescribendo ritu super divinis officiis ac etiam super canonizatione sanctorum „. Porro haec omnia negotia, quae prius ad Congregationem Episcoporum et Regularium pertinebant, in Congregationem Concilii translata sunt, quae proinde eidem successit in eo quod omnium Congregationum maior sit et praecipua, non quidem ratione nobilitatis negotiorum, quae tractat, sed ratione numeri et multiplicitatis ac practici interesse.

Competentia huius Congregationis in nova constitutione sic breviter exponitur:

Huic Sacrae Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quae ad universam disciplinam Cleri saecularis populique christiani refertur.

Quamobrem ipsius est curare ut Ecclesiae praecepta serventur, cuius generis sunt ieiunium (excepto eucharistico, quod ad Congregationem de disciplina Sacramentorum pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles: moderari quae Parochos et Canonicos spectant; item quae pias Sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana, aliaque huiusmodi, attingunt. Videt quoque de iis omnibus, quae ad immu-

nitatem ecclesiasticam pertinent. Eidem Congregationi facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectet.

Ad eamdem pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum coetus seu *conferentias* referuntur, suppressa Congregatione speciali, quae hactenus fuit, pro Conciliorum revisione.

Est autem haec Congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quas ratione disciplinae, seu, ut vulgo dicitur, *in linea disciplinari* pertractandas iudicaverit; cetera ad Sacram Romanam Rotam erunt deferenda.

Haec autem omnia in Normis peculiaribus ad quodcumque dubium removendum sequentibus complentur.

" Potestas huius Congregationis propria statuta est in Constitutione *Sapienti consilio.*

Ad omnem tamen tollendam ambiguitatem, quae forte in aliquibus casibus oriri posset. nonnullae heic peculiares singillatim recensentur facultates, quae uni Concilii Congregationi reservantur. Eius itaque dumtaxat erit in posterum concedere:

a) collegiis canonicorum, seu Capitulis, dispensationes ab obligatione celebrandi Missam feriae ac vigiliae; Missae canendae et applicandae conventualis; canendi atque in choro recitandi horas canonicas;

b) tum Capitulis, tum singulis e clero saeculari, anticipationem recitationis officii matutini;

c) Capitulis, anticipationem Vesperarum et Completorii ante meridiem;

d) sacerdotibus e clero saeculari commutationem recitationis officii divini cum aliis precibus;

e) dispensationem a ieiunio praescripto ante consecrationem sacrarum aedium;

f) facultatem in interno templi vel publici sacelli pariete fenestram faciendi extruendique parvi chori, aut aperiendi ostii, quo privatus aditus patefiat;

g) dispensationem a laurea doctoris sive ex tabulis institutionis sive ex lege praescripta ad beneficium vel officium aliquod assequendum, quorum largitio ad Ordinarium pertineat.

5. Item ad Concilii Congregationem spectat iudicium de controversiis omnibus circa potiorem dignitatis locum, seu *praecedentiam*, exceptis iis quae Sodales religiosos attinent (quae controversiae Congregationi religiosorum Sodalium sunt reservatae), iisque pariter demptis quae *Cappellam*, Aulam pontificiam et Patres Cardinales spectant, ad Caeremonialem deferendae.

Item ad eam pertinet videre, administrationis et disciplinae tramite, de servitutibus, quas aedi sacrae se constituisse aliquis iactet, aut quas eidem velit imponere, qualia sunt habitatio in superiori contignatione, murorum impositio, atque horum similia „.

59. — His addendae sunt duae responsiones S. Congregationis Consistorialis ad duo dubia eidem proposita. Primum dubium expostulabat ad quamnam e S. Congregationibus spectaret dispensare a iureiurando emisso ab antiquis Collegii urbani de Prop. Fide aliorumve collegiorum alumnis, qui subsunt dioecesibus ad ius commune nuper deductis, quique facultatem petunt de dioecesi, cui iuramento obstringuntur, in aliam transeundi. Responsum autem est (7 ian. 1909) " Spectare ad S. Congregationem Concilii „.

Alterum dubium erat, utrum facultas concedendi clericis iam in sacro presbyteratus ordine constitutis dispensationem ab irregularitate vel a titulo sacrae ordinationis spectaret ad Congregationem de sacramentis, an potius ad Congregationem Concilii. Et responsum est (27 febr. 1909): " Spectare ad S. Congregationem Concilii „.

Ex quibus omnibus patet, competentiam huius Congregationis accurata quadam synthesi determinari in ipsa constitutione his verbis: " Huic Sacrae Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quae ad universam disciplinam cleri secularis populique christiani refertur „. Quod evidens fit consideranti. Enumeratio enim, quae in constitutione sequitur eorum, quae ad hanc Congregationem

spectant, incipitur verbo *Quamobrem,* quod consecutivum est et indicat proinde mentem legislatoris esse iis, quae sequuntur, explicare syntheticam formulam prius positam et breviter determinantem huius Congregationis competentiam. Ex quo sequitur ea, quae sequuntur enucleate distincta, ita tandem accipienda esse pertinere ad hanc S. Congregationem, in quantum referuntur ad ***disciplinam*** ecclesiasticam.

Exinde non difficile eruitur limes auctoritatis inter S. Congregationem Consistorialem et S. hanc Congregationem Concilii. Ea scilicet, praeter alia, curat de ecclesiastico iuridico instituto dioecesis, in quantum agitur de eius constitutione, conservatione et incremento; haec de eodem iuridico instituto in quantum, supposito quod exsistat, consideratur in exercitio suae activitatis et operositatis. Aliis verbis S. Congregatio Consistorialis praecipue spectat ipsam dioecesim prouti constituenda est et conservanda; S. Congregatio Concilii eam spectat prouti est operans seu prodiens in activitatem sibi connaturalem.

Quare inter alia ad hanc S. Congregationem pertinent ea omnia, quae respiciunt exercitium activitatis comitatuum dioecesanorum aut parochialium, arcas nummarias sive dioecesis ipsius sive ipsarum societatum catholicarum quoad exsurgentes forte conflictus et controversias, societates catholicas cooperativas et alia huiusmodi (1).

(1) Haec quidem dicenda videntur de iure hucusque vigente, ut scilicet, si de quaestionibus *socialibus* sermo sit, ea, quae respiciunt *fundationem* seu *constitutionem* institutionum socialium (arcarum nummariarum et aliorum huiusmodi), Congr. Consistoriali sint tribuenda, ea vero, quae respiciunt exercitium harum institutionum, Congr. Concilii. Verum mirum non esset, excrescente in dies necessitate harum institutionum in bonum christiani populi, ne ab impiis hominibus praetextu temporalis auxilii facile decipiatur et ab ecclesia abducatur, si aliquod novum crearetur *δικαστήριον*, cui has omnes institutiones in totum regere et salubriter moderari committeretur, ut scilicet exinde maior unitas et maior proinde efficacia in iis haberetur.

60. Modus procedendi. — Postquam Cardinalis praefectus simul cum Secretario et Subsecretario iudicaverat an negotium aliquod, quod S. Congregationi propositum erat, esset necne discutiendum; negotium ipsum vel omnino respuebatur per responsum *Lectum*, *Nihil* aut aliud huiusmodi, vel admissa discussione definiebatur an statim resolvendum esset ab ipso Praefecto cum Secretario et Subsecretario, an potius Cardinalibus omnibus esset subiiciendum pro expeditione, et in hoc casu quo modo pertractandum esset. Distinguebantur enim plures modi causas pertractandi: iuris ordine servato, in folio, oeconomice, per summaria precum. Hos modos sufficiat hic innuisse; pertinent enim ad antiquam disciplinam. Si quis velit distinctionem eorum penitius cognoscere potest consulere Lingen et Reuss in prolegomenis operis iam citati n. IV., nec non instructionem (*Regolamento*) eiusdem S. Congregationis diei 27 sept. 1847 cum modificationibus, quae circa eam inductae sunt die 10 dec. 1884 et decreto diei 3 nov. 1905.

Ex nova disciplina decidere ante omnia Congressus debet utrum negotium talis naturae sit, quod ad S. Rotam sit deferendum an potius pertractandum sit apud ipsam S. Congregationem; et in hoc casu utrum plenae Congregationi sit exhibendum an potius in ipso Congressu finiendum.

Ad hoc decidendum quaedam statutae sunt regulae in Normis peculiaribus, quae his verbis exprimuntur:

Ad plenae Congregationis iudicium pertinent:

a) examen dubiorum circa iuris interpretationem in huius Officii rebus. quae dubia nullam facilem solutionem atque perspicuam nanciscantur in constitutis legibus aut in alias decisis; examen petitarum gratiarum, dispensationum, indultorum, quae concedi fere non soleant eo modo, aut ea latitudine; aliaque, quemadmodum superius dictum est;

b) cognitio Conciliorum provincialium. — Qua in re, ad vigentis disciplinae normam, unius Consultoris primum exquiretur sententia; deinde horum Collegii, aut partis eiusdem, non infra numerum Consultorum quinque, per vices eligendorum. Tum vero adiutor regionis, ad quam pertinet provinciale Concilium, acta et suffragia typis imprimenda curabit.

Pariter quidquid maioris ponderis in Episcoporum coetibus contigerit statutumve sit, ad plenam Congregationem referatur.

Congressus autem est, ad normam legis communis, necessaria parare ad negotiorum examen, quae plenae Congregationi sint reservata, ordinarias res expedire, solitas gratias concedere usitatis formis et pro facultatibus a Summo Pontifice acceptis.

In administrandae pecuniae negotiis, suae ac peculiares erunt servandae normae.

§ 6. — De Congregatione negotiis religiosorum sodalium praeposita.

Cohellius, op. cit., Congr. VIII pro consultationibus episcoporum et aliorum praelatorum; Congr. IX pro consultationibus regularium. — Lunadoro, op. cit., cap. XI, Della Congregazione de' vescovi e de' regolari, del segretario e di altri ministri di detta Congregazione; cap. XIII, Della Congregazione della disciplina regolare. — De Luca, Rel. Rom. Curiae for. disc. 16. — De Luca, Il cardinale pratico, cap. 27, Della Congregazione sopra i negozi de' vescovi e de' regolari dell'uno e dell'altro sesso. — Danieli, op. cit. in h. t. — Moroni, op. cit., Congregazione de' vescovi e regolari; Congregazione della disciplina regolare. — Bizzarri A., Collectanea in usum Secretariae S. Congr. Episcoporum et Regularium, Romae, 1885. — Bastien Pierre, Directoire canonique à l'usage des congrégations à voeux simples, Abb. de Maredsous, 1904. — Battandier A., Guide canonique pour les constitutions des Instituts à vœux simples [3], Paris, 1905. — Arndt Aug., Rechtsbestimmungen für Orden und Kongregationen, Paderborn, 1908.

61. Institutio. — Congregationem super consultationibus regularium prior erexit et constituit Sixtus V per Breve " Rom. Pontifex „ 17 maii 1586, et per constitutionem

" Immensa „ confirmavit tamquam distinctam ab alia Congregatione super consultationibus episcoporum et aliorum praelatorum, quam eadem constitutione pariter confirmavit et ordinavit. Quae duae Congregationes saltem iam anno 1601 in unam coaluerant, in Congregationem scilicet Episcoporum et Regularium.

Huic Congregationi postea accesserunt primum Congregatio super statu regularium, postea Congregatio super disciplina regulari, tandem etiam Congregatio de statu regularium ordinum. Prima, super statu regularium scilicet, seu, ut eam vocat De Luca (l. c. disc. XXII) reformationis regularium, auctorem habuit Innocentium X, qui constitutione " Instaurandae „ 15 oct. 1652 eam instituit ad exsequendam reformationem regularium Italiae; eaque, a Clemente IX constitutione " Iniuncti „ 11 apr. 1668 confirmata, ab Innocentio XII Constitutione " Debitum „ 4 aug. 1698 extincta est. Cuius suppressionis seu extinctionis ratio ea forte fuit, tum quod ea munus suum magna ex parte expleverat, tum quod inutilis ferme evaserat, instituta iam ab eodem Pontifice constitutione sua " Sanctissimus „ 18 iulii 1695 nova Congregatione super disciplina regulari.

Altera seu super disciplina regulari, quae ab Innocentio XII constitutione " Sanctissimus „, ut diximus, instituta est, ab eodem Pontifice constitutione citata " Debitum „ confirmata easdem per novam hanc constitutionem habuit facultates eademque munia, quae commissa eousque erant Congregationi super statu regularium ex constitutionibus citatis Innocentii XII et Clementis IX, nec non officium habuit " Romano Pontifici ea suggerere ac proponere, quae pro eorumdem regularium fovenda seu reparanda disciplina opportuna fore in Domino „ iudicasset. Munus igitur istius Congregationis non fuit restrictum ad regulares Italiae, sed ad regulares totius orbis extensum in quantum respiciebat consilia proponenda Pontifici pro regulari disciplina fovenda vel reparanda.

Tertia, seu super statu regularium ordinum, a Pio IX instituta est encyclica sua " Ubi primum „ 17 iunii 1847. Quae quidem Congregatio distincta prorsus fuit tum a Congregatione super disciplina regulari, tum etiam ab antiqua Congregatione super statu regularium. Neque enim Pius IX Congregationem iamdiu institutam ab Innocentio X et ab Innocentio XII extinctam restituit, sed novam constituit. Discrimen inter novam hanc et antiquam congregationem in eo praesertim fuit, quod, ait Bouix (Tract. de curia romana, p. II, c. 6, § 3), " priscae ab Innocentio XII suppressae proprium officium fuerit iam editorum pro instauranda regulari disciplina decretorum exsecutionem atque observantiam urgere; at vero satis indicat Pius IX citatis litteris eo consilio institui a se dictam Congregationem ut nova hac de re praeparentur ac condantur decreta „. Haec nova Congregatio, manente adhuc congregatione super disciplina regulari, munus assumpsit alterius proprium suggerendi Pontifici opportuna consilia pro disciplina tuenda. Hae duae igitur Congregationes super disciplina regulari et de statu regularium ordinum ad hos ultimos usque annos manserunt, quousque scilicet Pius X Motu proprio " S. Congregationi „ 26 maii 1906 utramque suppressit propter rationes, quas ibidem exposuit his verbis: " At vero, mutatis hodie adiunctis rerum ac temporum, iam non satis esse causae videtur cur hae duae Congregationes a Congregatione Episcoporum et Regularium distinctae permaneant; multum esse, cur ipsae cum illa coalescant, nempe ut religiosorum negotia melius et facilius, servato rerum ordine ac similitudine, expediantur. Eo magis, quod Congregatio super disciplina regulari iamdiu communi utitur Cardinali Praefecto et communis cum Congregatione Episcoporum et Regularium est utriusque secretarius: Congregatio autem de statu regularium ordinum munus sibi demandatum iam magna ex parte ad exitum feliciter adduxit. Abolendo autem Pontifex has duas Congregationes facultates ipsarum om-

nes in Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium perpetuo transtulit.

62. — Nova autem Constitutione " Sapienti consilio „, translatis, ut superius diximus, ad S. Congregationem Concilii negotiis, quae ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium pertinebant, in quantum ea erat Congregatio super consultationibus episcoporum et aliorum praelatorum, Congregationi Episcoporum et Regularium non remanserunt nisi negotia ad regulares spectantia et proinde Congregatio dicta est Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita, ut vocatur in ipsa nova Constitutione, vel Congregatio de sodalibus religiosis, quemadmodum ei nomen fit in Normis peculiaribus, vel etiam brevius Congregatio de religiosis (1), ut iam vulgo appellatur, et ipsa Congregatio in suo authentico sigillo posuit.

Non immerito autem diceres, ut patet ex dictis, antiquam Congregationem Episcoporum et Regularium penitus constitutione nostra fuisse extinctam, eique suffectam fuisse pro negotiis ad regulares spectantibus Congregationem de religiosis. Hoc autem probari etiam videtur ex facto, quod pro Congregatione religiosorum novi omnino consultores post promulgatam constitutionem a Summo Pontifice creati sunt.

63. Constitutio. — Sacra haec Congregatio de religiosis, quemadmodum prius S. Congregatio Episcoporum et Regularium, constat pluribus Cardinalibus a Romano Pontifice electis, quorum unus munus gerit Praefecti. Cardinales adiuvant Secretarius, vel praelatus vel religiosus, et Subsecretarius, qui in hac congregatione maiores admi-

---

(1) Nota nomen religiosorum hic latiori sumi significatione, in quantum ad eos quoque extenditur, ut postea dicemus, qui *sine votis* vitam agunt communem ad modum religiosorum.

nistri sunt. His adiunguntur inferiores ministri aliquot. Est etiam coetus Consultorum, qui a Summo Pontifice eliguntur.

Congregatio autem haec, ob multiplicitatem religiosorum institutorum quae habentur, ne in expeditione negotiorum confusio oriretur, quoad suam internam constitutionem triplici fere sectione subdivisa est. Tres igitur constituti sunt adiutores, quorum alter id sibi munus commissum habuit ut ea, quae ad religiosos ordines pertinent, alter ea quae ad congregationes et omne genus instituta virorum, alter ea quae ad congregationes et instituta mulierum, curent. Pro unoquoque horum munerum sui etiam sunt scriptores distributi.

64. Competentia. — Limites, intra quos detinebatur competentia antiquae Congregationis Episcoporum et Regularium, amplissimi erant, ut supra adnotavi loquens de Congregatione Concilii, ac proinde quam maxima erant negotia huius Congregationis. Quod quidem De Luca (loc. cit., n. 23) immerito, ut videtur, culpae adscribit regularium, " qui non habentes necessitatem cogitandi ad propriae personae ac familiae victum et vestitum aliasque indigentias, se totos occupare solent in dissensionibus inter seipsos, ita humana conditione vel infirmitate exigente, pro qua curanda sufficiens medicamen adhuc non habemus „. Quae nimis dure contra regulares dicta, nescio utrum haberent applicationem quamdam practicam temporibus Cardinalis De Luca, certe tamen, Deo favente, non habent nostro tempore. Imo persuasum mihi est cumulum negotiorum, ex quibus Congregatio haec *occupatissimae* nomen obtinuit, eidem provenisse potius ex negotiis episcoporum et aliorum praelatorum, quam ipsorum regularium.

Competentia autem circa ea, quae ad regulares pertinebant, latissima erat, ita ut De Luca dicat (l. c.): " in summa omnia peragit, quae religionum ac regularium

bonum regimen ac directionem concernunt „. Limites hos latissimos non solum non coarctavit, sed ampliavit potius constitutio nostra. Non solum enim ea omnia pertractat quae religiosos attingunt, eo sensu quod aliquis eorum locum teneat conventi vel actoris, in causis scilicet disciplinaribus seu in linea administrativa actis, verum etiam, generaliter loquendo, omnes favores religiosis concedendi ab hac Congregatione in posterum exclusive provenire debent (1). His enim statuitur in constitutione nostra huius Congregationis competentia.

Haec Sacra Congregatio iudicium sibi vindicat de iis tantum, quae ad Sodales religiosos utriusque sexus tum solemnibus, tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines saeculares, in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis.

Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit, quae sive inter Episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae, seu, ut dici solet, *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive convento sive actore; ceterae ad Sacram Romanam Rotam erunt deferendae, incolumi semper iure Sancti Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes.

Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis.

---

(1) Leitner, loc. cit., in h. t. hic adnotat: " Quae via tamen ad regulares proprii sensus *restricta* videtur; etenim si tertii alicuius ordinis vir vel femina petit aliquam dispensationem a iure communi, non uti tertii ordinis sodalis, sed uti persona catholica hanc gratiam petit „. Cui adnotationi subscribendum censeo, si tamen verbum illud *regulares* ad religiosos quoque extendatur, et tertiarii, de quibus auctor loquitur, intelligantur tertiarii seculares non agentes vitam communem ad modum religiosorum.

Ex his satis patet, quomodo regimen omnium institutorum religiosorum, non exceptis tertiis ordinibus secularibus, ab hac Congregatione dependet.

65. — Imo haec Congregatio est tribunal competens quoad omnes causas, quae agitantur *in via disciplinari,* quando conventus vel etiam actor est institutum quoddam religiosum aut quidam religiosus sodalis. In quo tamen notandum est agi hic de causis pertractandis in via disciplinari; Congregatio enim haec, quemadmodum Congregationes aliae, potestate iudiciali destituitur. Hinc causae omnes, quae exigunt aut admittunt tractationem iudiciariam, quemadmodum loquitur ipsa constitutio et confirmat inductus usus, a S. Rota videndae et cognoscendae sunt. Et de facto Rota cognovit et decidit causam in Pharen. *Iurium et poenarum* (29 iul. 1909), in qua inter alia agebatur de iure Patrum Dominicanorum contra parochum illud impugnantem.

66. — Nec solum, sed etiam causae ipsae in linea disciplinari seu in linea non iudiciali actae, etsi habeant religiosum institutum vel sodalem actorem ant reum, non ideo ad hanc S. Congregationem indifferenter sunt remittendae, non obstantibus verbis illis constitutionis superius relatis: " Est autem (haec Congregatio) tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae... aguntur, religioso sodali sive convento sive actore „. Nam " scire leges non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem „ ut ait Celsus (l. 17, de legib., etc., D. — I., 3), seu potius quam nudis verbis insistere, in lege interpretanda adhaerere debemus menti legislatoris. Porro evidens mihi est, noluisse legislatorem demandare huic Congregationi decisionem omnium causarum, in quibus verificatur in actore aut in reo qualitas religiosi viri. Principium enim fundamentale, quod constitutionem nostram regit, in eo est, ut competentiae Congregationum etc. divisae sint,

eaeque ratione, non quidem personae, sed materiae distinguantur. Unica haec esset exceptio, quae universam iuris harmoniam rumpere videretur. Multo magis quod exinde fieri posset, ut de eadem materia diversa *δικαστήρια* iudicantia diversitatem inducere possent in ipsa legum interpretatione et in ipsa legislatione, quod nova hac Curiae constitutione evidenter cavere voluit Pontifex.

Quare certum mihi est, potestatem huius Congregationis restrictam esse ad causas, quae respiciunt regimen et disciplinam internam religiosorum; in quibus tamen ea est exclusiva. Ex quo factum est, ut in his causis haec sacra Congregatio sit adeunda, etsi religiosus sit actor, reus vero sit vir non religiosus. Quae est ratio cur in constitutione apposita fuerint illa verba " religioso sodali sive convento sive actore „, ut scilicet sanciretur haec exceptio a communi principio: " actor sequitur forum rei „, vel potius, ut melius demonstraretur quomodo mens constitutionis ea fuerit ut competentiae distinguerentur ratione materiae, non ratione personae, et proinde declararetur in his causis etiam non religiosum subdi huic Congregationi.

Quare si quis religiosus punitus ab episcopo eo quod deliquerit extra claustra, secundum dispositionem tridentinam (sess. XXV, c. 14 de reg.) et confirmationem Clementis VIII (Const. " Suscepti „ 23 febr. 1596), vellet ab ea sententia appellare vel contra episcopum punientem agere, deberet appellationem suam deferre huic S. Congregationi aut apud eam suam actionem instituere.

Haec confirmari videntur ex iis, quae iam a S. Congregatione Consistoriali decisa sunt. Propositum enim fuerat eidem dubium: " Utrum facultas admittendi ad compositionem eos, qui bona ecclesiastica quaecumque occuparunt aut detinent, privative tribuenda sit S. Congregationi Concilii, an potius, quando agitur de bonis ad ordines vel religiosas familias pertinentibus, eadem facultas reservanda sit S. Congregationi de religiosis „. Porro huic

dubio sequens data est responsio: " Affirmative ad primam partem, negative ad secundam „. Pertinet igitur ad Congregationem Concilii moderari ea omnia, quae ad compositiones huiusmodi pertinent, etsi de religiosis agatur. Si autem hoc ad exclusivam competentiam Congregationis Concilii pertinet, ad eamdem Congregationem spectare dicendae sunt controversiae in via disciplinari agitandae, quae forte occurrant circa tales compositiones. Non semper igitur ad Congregationem religiosorum pertinent causae, in quibus sodalis religiosus actor est vel reus conventus. Stat proinde, quod tunc tantummodo hae causae huic Congragationi reservantur, quando agitur de re intra ambitum ipsius competentiae contenta, idest de re quae respiciat religiosam disciplinam aut instituti religiosi regimen.

Ex iisdem rationibus sine dubitatione affirmarem, non ad hanc, sed ad Congregationem Concilii spectare moderamen confraternitatum, earum quoque, quae a religiosis institutis seu in eorum ecclesiis institutae sunt.

Certum autem est illud, de quo dubitare videtur Besson (loc. cit. in h. t. in nota), seminaria scilicet etsi religiosis viris commissa non ab hac Congregatione, sed a Congregatione Ceremoniali dependere; quod ipsa inducta praxis confirmat. Exinde patet nimis cl. eumdem auctorem extendisse competentiam istius Congregationis, quum tamquam eius obiectum assignat etiam: " les difficultés, qui se produiraient sur leurs biens, leurs droits ou obligations, etc. „.

67. Modus procedendi. — Si quaestio sit de modo procedendi, qui servabatur ab antiqua congregatione Episcoporum et Regularium, quique in pluribus retentus dici debet a nova Congregatione religiosorum, pro causis quae regulares respiciebant, iis sepositis, quae ad negotia episcoporum spectabant, eum probe explicat De Luca (loc. cit., n. 17) dicens: " Quo vero ad alteram speciem nego-

tiorum regularium, non intrat superius insinuata propositio, quae intrat in negotiis episcoporum vel secularium, quod scilicet in privatis causis contentiosis cum processu et ordine iudiciario peragendis, una partium reluctante, ista Congregatio se non ingerat, sed eas remittat ad suos iudices; quoniam causas regularium, non solum publicas super regimine religionis in universum, sive inter unam religionem et alteram, sed etiam privatas inter ipsos religiosos, super electionibus, officiis et praelaturis aut super praecedentiis aliisque praeeminentiis ceterisque occurrentiis, generaliter haec S. Congregatio cognoscit et determinat summarie et de plano, sola facti veritate inspecta, quandoque cum extraiudicialibus probationibus vel cum sufficientibus iustificationibus, per scripturas, nullo tamen adhibito formali processu cum notario et tela iudiciaria, quoniam Secretarius vel Cardinalis Ponens conservat scripturas et recipit informationes ita quodammodo faciendo etiam partes notarii. Merito autem ac prudenter in causis regularium ita proceditur quoniam non solum ex dispositione dictae Sixtinae constitutionis super huius congregationis erectione, sed etiam ex antiquorum canonum et canonistarum sensu receptum est, incongruum esse claustralibus religiosis strepitum fori, ideoque eorum causae cognosci non debent in ordinariis tribunalibus contentiosis secularibus, sed intra ipsam religionem atque per eius superiores absque figura iudicii et cum religiosa simplicitate; si vero agatur de recursibus a gravaminibus ipsorum superiorum in eadem extraiudiciali forma cognoscuntur vel per Cardinalem protectorem religionis, vel per istam Congregationem, quum ita quoque intra, non autem extra ordinem cognosci dicantur. Stylus autem est, quod, quemadmodum in dicta alia specie negotiorum episcoporum et clericorum secularium et monialium, habito recursu per viam simplicis libelli extraiudicialis, scribitur episcopo pro informatione, eique trasmittitur tenor libelli porrecti; ita in istis negotiis regularium, rescribitur procuratori gene-

rali religionis, qui semper in curia assistit, et quandoque eidem generali pro informatione, qua habita, si una partium illam impugnet atque alteratam praetendat, aliae capiuntur informationes et adhibentur diligentiae pro veritate indaganda „.

68. — Hunc eumdem modum procedendi servatum iri puto in nova Congregatione religiosorum quoad eas causas, quae apud eam pertractabuntur in linea scilicet disciplinari, qua sola via haec etiam Congregatio, quemadmodum et aliae omnes, procedere potest. Causae enim, quae iudiciario ordine pertractandae sunt, ad Rotam remitti ab hac quoque Congregatione debent, prouti expresse edicitur in constitutione nostra. Quod si quaeras, quaenam via disciplinari quaenam autem iudiciaria agi debeant, quamvis nihil de hoc, ne obiter quidem in constitutione dicatur, existimo tamen omnes causas, quae inter sodales eiusdem ordinis, sive ii sint personae privatae sive una ex partibus persona publica, ut ita dicam, sit et ordinem ipsum forte repraesentet aut qua superior conveniatur, via disciplinari et proinde apud hanc S. Congregationem esse agendas propter rationes prudentiae, quas enumerat Card. De Luca in loco superius citato, explicans modum procedendi antiquae congregationis Episcoporum et Regularium, et ut salvetur principium maximi momenti eas scilicet causas intra ordinem esse finiendas; alias vero causas, quae respiciunt contentiones inter episcopos et instituta religiosa vel religiosos sodales, aut etiam inter varia religiosa instituta, pro subiecta materia, secundum regulas, quas supra dedimus, una potius aut alia via agendas esse.

Si autem quaeras, quaenam apud hanc S. Congregationem iudicio plenae Congregationis, quaenam Congressui sunt reservata, hoc diiudicandum est ex generalioribus normis in cap. 2. Normarum peculiarium constitutis. Illud unum quoad hanc Congregationem peculiariter cautum

est, decretum scilicet, quo laudatur ac probatur aliquod novum institutum nec non decretum approbationis constitutionum ac quamvis substantialem mutationem in iam probatis institutis inducendam, reservari semper ad plenam Congregationem.

§ 7. — De Congregatione de Propaganda Fide.

Sectio prima - De ipsa Congregatione de Propaganda Fide.

Cohellius, op. cit., Congr. III de Propaganda Fide. — Lunadoro, op. cit, cap. 16, Della Congregazione di Propaganda Fide. — De Luca, Rel. rom. Curiae for., disc. 23. — De Luca, Il Cardin. prat., c. 36, Della Congregazione della propaganda della fede. — Bayer Sigfr., Breve compendium historiae congregationis de Propaganda Fide, Regiom. 1721; Bullarium pontificium S. Congr. de Prop. Fide, Romae, 1839. — Moroni, op. cit, Congregazione di Propaganda Fide. — Mejer O., Die Propaganda, ihre Provinzen und ihr Recht, Göttingen, 1852. — Pieper, Die Propaganda-Congregat. u. d. nordische Mission in XVIII Jahrh., Köln, 1886. — De Martinis R., Ius pontificium de Prop. Fide, Romae, 1888 sqq. — Putzer, Comm. in facultates apostolicas episcopis nec non vicariis et praefectis apostolicis per modum formularum concedi solitas, ad usum ven. cleri, imprimis Americani, concinnatum ab Antonio Konnigs [4], Neo Eboraci, 1897. — Baumgarten P. M., Die hl. Kongregation z. Verbreit d. Glaubens u. ihr Gebiet, in Katholik, I, 250 ff., 1899. — Pieper A., Gründung u. erste Einrichtung d. Propaganda-Kongregation, in Akten d. 5 intern. Kongress. kath. Gelehrten z. München, 1900. — Goddard, Manual of ecclesiastical law and practice in missionary countries, Westminster, 1906. — Bullarium S. Congr. de Prop. Fide, Romae, 1839 sqq — Collectanea constitutionum, decretorum, indultorum ac instructionum S. Sedis ad usum operariorum apostolicorum Societatis missionum ad exteros, selecta et ordine digesta cura moderatorum Seminarii Parisiensis eiusdem Societatis, Parisiis, 1880 — Collectanea S. Congregationis de Prop. Fide, seu decreta, instructiones, rescripta pro apostolicis missionibus ex tabulario eiusdem S. Congregationis deprompta, Romae, 1893. — Collectanea S. Congregationis de Prop. Fide seu decreta, instructiones, rescripta pro apostolicis missionibus, vol. I (ann. 1622-1866; nn. 1-1299); vol. II (ann. 1867-1906; nn. 1300-2317), Romae, 1907.

69. Institutio. — Haec Congregatio praeformata fuit a Gregorio XIII, qui zelo conservandi et ampliandi fidem commissionem constituit trium cardinalium, Carafae scilicet, de Mediceis et Sanctorii (qui magis notus fuit sub nomine Cardinalis S. Severinae, qui locus erat sui episcopatus), ut curam insumerent eorum, quae necessaria aut conducentia erant ad servandam fidem inter catholicos orientales et ad revocandos schismaticos in unitatem ecclesiae. Quae Gregorius XIII inchoaverat, promovit strenue Clemens VIII, coram quo (nescio quid sub Pontificibus intermediis acciderit) die 11 augusti anni 1599 prima habita est congregatio Cardinalium, qui finis a Gregorio XIII intenti curam sibi demandatam habebant. Hi singulis hebdomadibus conveniebant in domum Cardinalis S. Severinae, eorumque studia singulis quindecim diebus Pontifici referebantur. Mortuo anno 1605 Clemente VIII conventus hi desierunt haberi. Tandem anno 1622 Gregorius XV constitutione sua " Inscrutabili „ Congregationem specialem instituit plurium Cardinalium, qui " tam sancto et divinae maiestati maxime grato operi (curandi ut ubique praedicetur evangelium), quanto melius fieri poterit, incumbant... omniaque et singula negotia ad fidem in universo mundo propagandam pertinentia cognoscant et tractent et graviora ad Pontificem referant „. Cardinalibus addidit etiam Pontifex duos praelatos Ioannem Baptistam Vives hispanum et Ioannem Baptistam Agucci seu Aguccchi protonotarium apostolicum nec non p. Dominicum a Iesu et Maria generalem praepositum ordinis fratrum Carmelitarum discalceatorum, qui ad hoc opus perficiendum multum allaboraverat. Secretarius autem Congregationis fuit Franciscus Ingoli, qui hoc munere 27 annos functus est et a secretis etiam fuit illius congregationis, quam ipse Gregorius XV statuit pro compilatione ceremonialis, quem Pontifex postea constitutione sua " Decet Romanum „ approbavit. Ioannes autem Vives is fuit, qui donavit Congregationi et Collegio Urbano palatium, quod

etiam nunc obtinet, eamque heredem ex asse reliquit sui ditissimi patrimonii, cuius proinde memoriam ipse Urbanus VIII fecit in bulla " Immortalis „ anni 1627.

70. Constitutio. — Primam constitutionem hoc modo obtinuit haec Sacra Congregatio, teste Card. De Luca (loc. cit., disc. XXIII), scilicet " ex Cardinalium competenti numero vario aliorumque praelatorum ac inferioris ordinis officialium mixtura..., ex secretario scilicet praelato, ex assessore S. Officii, ex uno protonotario apostolico, ex aliquibus aliis praelatis „.

71. — Congregatio de Propaganda Fide, tum ab ipsis Pontificibus, praesertim Innocentio XII et Clemente XII, tum a piis fidelibus, multis bonis et reditibus dotata est, quibus finem suum attingere aliquo modo posset. Hinc patrimonium huius S. Congregationis, Deo favente, non mediocriter excrevit ideoque Cardinali praefecto generali, qui scilicet congregationem regebat ad modum aliorum cardinalium in aliis Congregationibus praefecturam pariter gerentium additus postea fuit specialis Cardinalis, qui praefecturam haberet oeconomiae; primus inter hos oeconomiae praefectos recensetur a Moroni (Dizionario di erudizione storico-ecclesiastico v. " Congregazioni cardinalizie attuali „ vol. 16, pag. 256) cardinalis Prosper Sciarra Colonna, qui defunctus est anno 1765. Praeter hanc praefecturam specialem oeconomiae, habiti sunt aliquando speciales praefecti officinae impressoriae librorum, quae etiam progressu temporum huic S. Congregationi addita est. Inter hos speciales praefectos primus enumeratur ab eodem Moroni cardinalis Leonardus Antonelli, qui a Pio VI dictus est non solum praefectus generalis, sed etiam praefectus officinae impressoriae librorum. Praefectura specialis oeconomiae distincta a praefectura generali usque ad constitutionem nostram mansit, eamque nuper regebat emus cardinalis Franciscus Salesius Della Volpe.

Praeter Cardinales praefectos habuit etiam congregatio plures officiales et consultores, quot scilicet pro cumulo negotiorum necessarii erant.

72. — Nova legislatio aliquam induxit mutationem in constitutione huius Congregationis. Sublata enim est praefectura specialis oeconomiae, uno manente cardinali praefecto, cui in Piana constitutione iam non amplius tribuitur titulus praefecti generalis, quum unicus sit. Cardinali praefecto adiungitur, prout prius, praelatus a secretis, cui ad exemplum aliarum Congregationum subsecretarius additus est. Secretarius et Subsecretarius sunt huius Congregationis maiores administri, quibus plures adduntur administri inferiores. Collegium etiam consultorum manet prout ante.

73. Competentia. — Competentia istius Congregationis, prout ea vigebat ante constitutionem nostram, sic a De Luca describitur (loc. cit., n. 6): " Istius itaque Congregationis munus est, propagationis fidei operarios, quibus missionariorum nomen tribuitur, dirigere ac transmittere et distribuere per regiones, ut ex personarum vel religionum qualitate opportunum reputatur, eisdemque necessarios sumptus ex ipsius operis peculio ac piorum oblationibus conflato aliisque piis eleemosynis et subventionibus suppeditare; consulendo etiam Summo Pontifici seu proponendo, ut ex dictis missionariis huic operi addictis aliquos praeficiat episcopos vel archiepiscopos ac respective provinciarum vel regionum vicarios apostolicos, unde propterea utramque oeconomiam spiritualem et temporalem potius quam forenses seu iurisdictionales partes ista congregatio administrare videtur. Adhuc tamen ad instar praesertim Congregationis regularium, ab aliquo tempore, aliqua forensia vel contentiosa negotia peragere ac decidere cum eodem Congregationum summario et extraiudiciali stylo consuevit... Ac etiam (ad instar praefatae

Congregationis S. Officii) forensem profanam cognitionem habet civilium, criminalium et mixtarum causarum eiusdem congregationis vel collegii ministrorum et operariorum, seu quae respiciant bona temporalia eiusdem operis vel collegii, ex quorum fructibus missionum sumptus, ut supra, erogantur „.

74. — Constitutio Piana aliquas induxit immutationes in competentia istius quoque congregationis. Immutationes autem istae respiciunt et personas et loca et causas seu negotia.

Circa *personas* competentia seu iurisdictio Congregationis de Propaganda Fide non solum restricta est indirecte, prout plures, in quos hactenus haec congregatio iurisdictionem exercebat, eidem non amplius subsunt ratione territorii, quod ab ambitu ipsius competentiae avulsum est; sed etiam directe, et hoc duobus modis. Religiosi enim, qui prius vel in territorio huic congregationi subiecto domum matrem seu generalitiam habebant, vel ex fine sui instituti peculiari ad missiones destinabantur, in omnibus eidem congregationi erant subiecti. Post constitutionem nostram e contra Congregatio de Propaganda Fide quoad sodales religiosos ea tantummodo sibi vindicat, quae religiosos qua missionarios sive uti singulos sive simul sumptos tangit; ea vero, quae religiosos, qua tales, sive uti singulos sive simul sumptos attingit, ad congregationem de religiosis spectant, ad quam proinde ab hac congregatione, si quae talia eidem offerantur, remittenda sunt. — Praeter hoc, sacra haec Congregatio plures poterat facultates concedere et indulta iis quoque, qui in locis exsistebant iuri communi subiectis; huiusmodi erant facultates quinquennales et decennales episcopis ab hac congregatione concedi solitae. Hinc merito Leitner (loc. cit, pag. 65) adnotat: " Facultates a S. Congregatione de Propaganda Fide *variis formulis* concedebantur. Sic e. gr. formula prima, quae continet 29 numeros, erat fundamen-

tum facultatum C. D. E., quas episcopi *Statuum foederatorum Americae* recipiebant. Episcopi *Canadenses* praeter facultates form. I accipiebant facultates extraordinarias in form. I contentas. Episcopi Angliae, Scotiae etc. gaudent facultatibus formulae II. Formula VI continet facultates episcoporum *Hiberniae;* formula X episcoporum Galliae, tandem formula III facultates episcopis *Germaniae*, *Austriae-Hungariae*, *Belgii* concedi solitas. Omnes hae enumeratae facultates a die 3 nov. 1908 iam non concedi possunt a S. Congregatione de Prop. Fide praedictis *episcopis;* e contra vicarii et praefecti apostolici memoratarum terrarum etiam in posterum possunt easdem recipere ab eadem S. C. de Prop. Fide. — *Germaniae* ordinarii recipiebant 22 varias facultates iuxta formulam III a S. C. de Prop. Fide. Easdem facultates ab eadem S. Congregatione in posterum recipere non possunt, nisi in quantum sunt vicarii apostolici, vel praefecti, vel administratores; sic episcopus titularis Abilensis, qua vicarius apostolicus Saxoniae; sic episcopus Osnabrugensis qua administrator praefecturae apostolicae Slesvigis-Holsatiae et provicarius apostolicus missionum Germaniae septentrionalis. Ceteri ordinarii impetrare debent praedictas facultates a singulis Congregationibus competentibus „.

75. — Circa *loca* maior est immutatio facta et consequens imminutio in iurisdictione huius Congregationis. Nam ante pianam constitutionem, de facto saltem, eius iurisdictio sese extendebat ad plures quoque regiones, in quibus iam erat regulariter hierarchia instituta. Scilicet restituta hierarchia non statim deventum etiam est ad subtrahendas eas regiones a iurisdictione Congregationis de Propaganda, tum quia saepe hoc ipsum a fidelibus illius regionis exoptabatur et petebatur, tum quia facilior exinde erat negotiorum expeditio, quum uni huic Congregationi pro quacumque causa recurrendum esset, tum quia haec Congregatio omnia gratis omnino expedit, qui privilegia-

tus status non immerito conservabatur his regionibus, quae in ecclesiastico regimine novum quid adhuc praeseferebant. Ita factum est ex. gr. pro Hollandia et Anglia, postquam Pius IX in eis ecclesiasticam restituit hierarchiam.

In constitutione nostra antiqua directiva principia retenta sunt. Statutum enim est tamquam generalis regula, huic Congregationi subiecta esse debere omnia et sola loca seu omnes et solas regiones, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Attamen et in nova constitutione admissum est, ut tamquam exceptio et transeunter maneant adhuc sub iurisdictione istius Congregationis ea quoque loca, quae, etsi in his hierarchia iam fuerit restituta, inchoatum tamen aliquod adhuc praeseferunt. Dixi: per modum exceptionis et transeunter, quia scilicet, quum primum variabuntur conditiones illae, quae efficiunt ut status illorum regionum inchoatum quid praeseferat, ad ius commune et proinde ad Congregationes, quae pro ordinariis contingentiis statutae sunt, reduci eas regiones convenit. His statutis principiis, eadem constitutio piana eorum facit applicationem, declaratque quasdam regiones, in quibus iam Deo favente res catholica prospere geritur, a iurisdictione huius Congregationis avulsas.

Eae sunt: in Europa — ecclesiasticae provinciae Angliae, Scotiae, Hiberniae et Hollandiae ac dioecesis Luxemburgensis; in America — provinciae ecclesiasticae dominii Canadensis, Terrae novae et foederatorum civitatum seu *Statuum unitorum*.

Ex altera parte alia loca ad iurisdictionem huius Congregationis reducta sunt. Sunt autem Vicariatus apostolici omnes et apostolicae omnes praefecturae nec non quaelibet missiones, quae hucusque subiiciebantur S. Congregationi a negotiis eccl. extr. Hi vicariatus sunt: Antofogastensis in rebuspubl. Cilena et Boliviana, Canelos ac Macas, Mendez ac Gualaquiza, Napensis et Zamorensis, qui omnes

pertinent ad rempublicam Aequatorianam; Casanarensis et Goajirensis pertinentes ad rempublicam Columbianam: Tarapacensis, qui pertinet ad respublicas Peruvianam et Cilenam. Praefecturae autem apostolicae sunt: Caquetana, Intendentiae orientalis et Plan. S. Martini (Piani di S. Martino) omnes in republica Columbiana.

76. — Quoad *causas* etiam aliqua immutatio est facta. Antiquitus enim pro locis, quae eidem subiiciebantur, omnia haec Congregatio negotia pertractabat, ita ut adagium esset, eam omnes alias Congregationes in ventre habere. Una Poenitentiaria excipiebatur ab hac regula. Nunc antiquum illud adagium non amplius locum habet. Ex nova enim constitutione ea, quae pertinent ad fidem vel ad matrimonium vel ad sacrorum rituum disciplinam, subducta sunt a iurisdictione istius Congregationis, quae proinde ea remittere respective debet ad Congregationem S. Officii, vel ad Congregationem Sacramentorum aut ad S. Rom. Rotam, vel ad Congregationem SS. Rituum. Quod quidem inductum est, quemadmodum ipsa constitutio loquitur, ut unitati regiminis consuleretur.

Abolita praeterea est, ut diximus, praefectura specialis pro re oeconomica, ac ipsi Congregationi demandata administratio bonorum omnium, etiam *Reverendae Camerae spoliorum* (1).

77. — Ut autem huius Congregationis competentiae limites melius clarescant, non abs re erit referre heic dubia, quae Cardinalis Praefectus eiusdem S. Congregationis ut rite, sicuti aiebat, exsequi valeret praescripta constitutionis

---

(1) Hucusque exsistebat Agentia generalis reverendae camerae spoliorum, quae praesidem habebat ipsum cardinalem praefectum oeconomiae et proprium secretarium, nec non legalem procuratorem. Nunc abolita est tamquam institutio autonoma, et S. Congregationi incorporata.

Apostolicae *Sapienti consilio* et adiectae Ordinationis S. Consistoriali proposuit et quorum ab ipsa solutionem postulavit. Sunt autem ea, quae sequuntur:

I. Utrum Vicariatus Apostolici, qui tamquam suffraganei pertinent ad provincias ecclesiasticas a iurisdictione Congregationis de Propaganda, vi memoratae Constitutionis exemptas, iugiter subsint eidem Congregationi de Propaganda.

II. Utrum Congregatio de Propaganda, ob peculiaria adiuncta Moderatorum dioecesum et missionum in longinquis regionibus Indiarum, Tonkini, Sinarum, Iaponiae, Australiae, Oceaniae aliisque huiusmodi etiam in posterum concedere possit Episcopis, Vicariis Apostolicis, Praefectis vel Moderatoribus missionum *formulas* facultatum, quarum plures matrimonium respiciunt.

III. Utrum eadem Congregatio adhuc tribuere valeat titulum *Missionarii Apostolici ad honorem,* addita solita facultatum *formula.*

IV. Cum S. Congregatio de Propaganda teneatur deferre ad S. Congregationem Rituum " quaecumque attingunt sacrorum rituum disciplinam „ quaeritur, utrum hoc praescriptum respiciat rituum disciplinam prout ipsa determinatur ac circumscribitur a Constitutione *Sapienti consilio,* an extendatur quoque ad facultates Missam, divinum officium aliaque spectantes, quas ante largiri consueverant sive Congregatio Rituum sive etiam Congregatio de Propaganda.

V. Utrum Congregatio de Propaganda deferre debeat ad Congregationem de Religiosis etiam quidquid attingat congregationes missionarias tum virorum quum mulierum, quarum constitutiones a Congregatione de Propaganda approbatae fuerunt.

VI. Utrum Congregatio pro Negotiis rituum orientalium valeat etiam in posterum concedere dispensationes matrimoniales mixtae religionis ac disparitatis cultus.

VII. Utrum acta Conciliorum, quae celebrari contigerint in territorio Congregationi de Propaganda relicto, remittenda sint ad Congregationem Concilii.

VIII. Utrum etiam Officiales, qui in officio aderant ante diem 4 novembris 1908, teneantur iusiurandum emittere per Legem generalem diei 29 iunii 1908 praescriptum.

IX. Utrum Collegia Americae Septentrionalis, Hyberniae et Scotiae dependere pergant a Congregatione de Propaganda, et utrum eorumdem alumni praestare teneantur iusiurandum praescriptum ab Urbano VIII, die 24 novembris 1625.

X. Utrum etiam alumni Americae Septentrionalis, Canadenses, Hyberni, etc., qui ex iure fundationis instituuntur in Collegio Urbano de Propaganda, emittere obstringantur posthac memoratum iuramentum ab Urbano VIII praescriptum atque in forma et terminis deinceps statutis ab Alexandro VII per Bullam diei 20 iulii 1660 pro cunctis Collegii Urbani alumnis.

XI. Utrum Cardinalis Praefectus Congregationis de Propaganda poterit adhuc concedere litteras dimissoriales ad sacros Ordines alumnis Collegiorum Americae Septentrionalis, Hyberniae et Scotiae; et an ac quomodo mutare oporteat titulum *missionis*.

XII. Utrum et qua ratione immutandus sit titulus missionis quoad alumnos Collegii Urbani de Propaganda, qui pertinent ad provincias ecclesiasticas et dioeceses a Congregatione de Propaganda avulsas.

Sacra Congregatio Consistorialis superius relatis dubiis circa praescripta Constitutionis Apostolicae *Sapienti consilio* et adiectae Ordinationis, iuxta mentem a SSmo Domino declaratam, die 12 novembris 1908 respondendum censuit:

Ad I. Affirmative dum ita permanent. Expedit tamen ut S. Congregatio de Propaganda, quamprimum fieri possit, memoratos Vicariatus erigat in dioeceses, eosque proinde deducat ad ius commune.

Ad II. Affirmative, re tamen agitata et composita cum S. Congregatione de Sacramentis.

Ad III. Affirmative quoad sibi subditos.

Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad V. Etiam quoad congregationes religiosas, quarum regulae seu constitutiones approbatae sunt a Congregatione de Propaganda, standum praescriptis Constitutionis *Sapienti consilio.*

Ad VI. Affirmative, excepto tantummodo privilegio Paulino, quod pertinet ad Congregationem S. Officii.

Ad VII. Negative.

Ad VIII. Negative, verum congruit ut omnes illud emittant.

Ad IX. Collegia Americae Septentrionalis, Hyberniae et Scotiae posthac pendebunt a S. Congregatione Consistoriali. Iuramentum autem ab alumnis praestandum servetur, reformandum tamen erit iuxta novam statuendam formulam.

Ad X. Affirmative, formula vero reformanda consiliis initis cum Emo Cardinali Praefecto Congregationis de Propaganda.

Ad XI. Concessio litterarum dimissorialium ad sacros Ordines pertinebit ad hanc S. Congregationem, quae, cum necessarium fuerit, immutabit titulum *missionis* in titulum *servitii ecclesiae.*

Ad XII. Emus Cardinalis Praefectus Congregationis de Propaganda mutabit pro memoratis alumnis titulum *missionis* in titulum *servitii ecclesiae.*

78. — Post haec, sequentia quoque dubia enodanda S. Congregationi Consistoriali ab eodem emo Praefecto Propagandae proposita sunt:

I. Quomodo intelligenda sit dependentia a S. Congregatione Consistoriali trium Urbis collegiorum, nempe Americae septentrionalis, Hiberniae et Scotiae, de qua in

resolutione diei 12 novembris 1908 ad IX; et quid idcirco statuendum sit quoad designationem et attributiones Emi Cardinalis Protectoris in iisdem collegiis.

II. Utrum et qua ratione, post Constitutionem *Sapienti consilio,* Collegium Anglicum de Urbe adnexumque collegium Beda dependeant a S. Congregatione Consistoriali.

III. Utrum et quomodo collegium Canadense de Urbe in posterum dependeat a S. Congregatione Consistoriali.

IV. Quae statuenda sint circa collegium Iosephinum in civitate *Columbus* Americae septentrionalis.

V. Utrum collegium Americanum, Lovanii, post Constitutionem *Sapienti consilio* dependeat a S. Congregatione Consistoriali.

VI. Utrum et quae iura posthac exercere valeat S. Congregatio Consistorialis quoad Collegium Anglicum S. Albani Vallisoleti.

VII. Utrum et quomodo providendum sit collegio Anglico Lisbonensi.

VIII. Utrum et quomodo collegium omnium Sanctorum, Dublini, adhuc dependeat a S. Congregatione de Propaganda Fide.

IX. Utrum et quomodo collegium Hibernicum, Parisiis, dependeat a S. Congregatione Consistoriali.

X. Utrum collegium Ianuense *Brignole-Sale* etiam nunc dependere debeat a S. Congregatione de Propaganda Fide.

XI. Ad quem spectet concedere litteras dimissorias ad sacros Ordines alumnis collegiorum Americae septentrionalis, Hiberniae atque Scotiae de Urbe, nec non aliorum collegiorum, quae superius recensita sunt.

XII. Utrum et quinam titulus ad sacros Ordines, post Constitutionen *Sapienti consilio,* subrogandus sit titulo *missionis* quoad alumnos collegiorum, de quibus supra.

XIII. Quid statuendum sit circa iuramentum ab alumnis eorundem collegiorum in ingressu in collegium praestandum.

XIV. Utrum clerici statuum foederatorum Americae septentrionalis, qui vi peculiaris indulti, a Summo Pontifice per Secretariam Status die 2 ianuarii 1909 concessi, promoventur ad sacros Ordines titulo *servitii ecclesiae*, teneantur emittere iuramentum sese mancipandi servitio suae ecclesiae seu dioecesis.

XV. Qua ratione reformandum sit iuramentum quoad eos alumnos collegii Urbani de Propaganda Fide, de quibus in resolutione S. Congregationis Consistorialis, die 12 novembris 1908 ad X^um^ data.

E.mi Patres S. Congregationis Consistorialis, in plenario conventu diei 29 iulii 1909, omnibus sedulo perpensis, responderunt:

Ad I. Hanc dependentiam intelligendam esse de alta directione, quam S. Congregatio Consistorialis, vi Constitutionis *Sapienti consilio*, exercet in omnia seminaria et collegia iuri communi subiecta; et supplicandum SSmo, ut in unoquoque ex his collegiis Cardinalem Protectorem, qui in Urbe resideat, designet, cum attributionibus prout in eorumdem constitutionibus et regulis, salvis tamen semper iis, quae in memorata Constitutione *Sapienti consilio* et inferius disponuntur.

Ad II. *Affirmative,* in iisdem omnibus terminis ac in responsione ad I^um^.

Ad III. Ad tramitem iuris communis, si et quatenus opus sit.

Ad IV. Quoad proprietatem et administrationem bonorum nihil innovandum; quoad collegii directionem, disciplinam aliaque, rem spectare ad S. Congregationem Consistorialem.

Ad V. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam, salvis iuribus S. Congregationis de Propaganda

Fide quoad alumnos dioecesum, quae adhuc eidem subsunt.

Ad VI. *Affirmative,* et S. Congregationem Consistorialem succedere debere in iuribus, quae hucusque a S. Congregatione de Propagande Fide exercebantur.

Ad VII. Firma dependentia eiusdem collegii a S. Sede, providendum quoad modum iuxta mentem.

Ad VIII. *Negative*, subrogata S. Congregatione Consistoriali in iuribus, quae hucusque in dictum collegium exercebat S. Congregatio de Propaganda Fide, et salvis iuribus S. Congregationis de Propaganda quoad alumnos dioecesum, quae eidem subsunt.

Ad IX. Dilata.

Ad X. *Affirmative.*

Ad XI. Litteras dimissorias concedendas esse a Cardinali Protectore, ubi adest: ubi vero deest, ab iis qui hoc privilegium legitime obtinuerunt; ea tamen lege, ut, si non agatur de privilegio perpetuo, indulti prorogatio sacrae Congregationi Consistoriali reservata maneat. Rectores autem collegiorum (quisquis sit, qui dimissorias litteras concedat) teneri in antecessum in singulis casibus Ordinarium proprium candidati interpellare, semel pro Ordinibus minoribus, et denuo semel pro Ordinibus maioribus, nempe pro sacro subdiaconatus Ordine, an aliquid alumni ordinationi obstet.

Ad XII. *Affirmative* et subrogandum esse titulum *servitii ecclesiae* titulo *missionis*, quoties alius canonicus titulus desit, servatis de iure servandis, prout in rescripto S. H. C. pro Hibernia, die 27 maii 1909; salvo titulo *missionis* pro alumnis, qui a S. Congregatione de Propaganda dependent.

Ad XIII. Conservandum esse iuramentum ab Urbano VIII praescriptum cum clausula adiecta ab Alexandro VII, in iis collegiis et pro iis alumnis, qui hucusque illud praestare tenebantur, reformatum tamen iuxta ad-

nexam formulam (1). In Collegio Anglico Lisbonensi iuramentum conservandum esse cum formula hactenus praescripta. Quoad collegium Americanum Lovaniense, ubi iuramentum non erat in usu, in posterum alumnos non dependentes a S. C. de Propaganda teneri in scriptis promittere, se fideliter inservituros esse propriae dioecesi, quae promissio in archivio collegii conservanda erit.

Ad XIV. *Negative*, nisi ad id adigantur in casibus a iure communi praescriptis; facta tamen obligatione alumnis, qui gratuito in bonum dioecesis aluntur, promissionem scriptam emittendi, sese fideliter inservituros esse propriae dioecesi.

Ad XV. Iuramentum reformandum esse iuxta superius indicatam formulam in responsione ad XIII, salvo iure S. Congregationis de Propaganda Fide, emendandi, si et quatenus necessarium ducat, formulam iuramenti pro alumnis locorum suae iurisdictionis.

Facta vero de his omnibus SSmo relatione in audientia diei 6 augusti insequentis, Sanctitas Sua resolutiones et vota Emorum Patrum confirmare et adprobare dignata est.

---

(1) Iurisiurandi Formula.

Ego N., e dioecesi N., plenam habens instituti huius collegii notitiam, ipsius leges et consuetudines, prout a moderatoribus explicatae sunt, libenter amplector, iisdem me sponte subiicio, easque pro viribus me observaturum polliceor.

Praeterea spondeo et iuro me, quamdiu hoc in Collegio commorabor, et postquam, sive studiis expletis, sive secus, quavis de causa, inde discessero, nulli religiosae familiae aut societati vel congregationi regulari nomen daturum, nec in earum ulla professionem emissurum, sine speciali Apostolicae Sedis licentia.

Item spondeo et iuro, me, Superioribus adprobantibus, statum ecclesiasticum amplexurum, ad omnesque sacros Ordines, etiam presbyteratus, quum Praepositis meis visum fuerit, adscensurum.

Voveo denique ac iuro, me, nulla interiecta mora, in meam dioecesim reversurum, ut ibi perpetuo divinis ministeriis vacem operamque meam omnem pro christiani populi salute impendam.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.

79. Modus procedendi. — Sacra haec Congregatio ad exemplum aliarum Congregationum sic procedebat, ut causas minoris momenti, quae iam alias pluries decisae nullam admittebant dubitationem, in Congressu dirimerentur a Cardinali Praefecto cum Secretario eoque ex officialibus (minutantibus) cui regio, ad quam negotium pertinebat, erat demandata; causae vero maioris momenti ad plenariam Congregationem deferrentur et ab ea decide-rentur sive praevia tantummodo orali relatione Secretarii, sive, si aliquod maius pondus haberent, *in folio* redactae et impressae et ab aliquo ex Cardinalibus Congregationis in ipsa Congregatione propositis, qui tamquam *Ponens* eas referret (1).

Haec a nova constitutione non sunt immutata, imo in Normis peculiaribus expresse cautum est, ut haec Congregatio retineat constitutionem, disciplinam et agendi rationem sibi propriam in iis omnibus, quae cum dispositionibus novae constitutionis et adiunctarum Normarum componi possunt. Unum proinde immutabitur, scilicet in Congressu locum habebit etiam Subsecretarius, admisso etiam seu retento, ni fallor, minutante, cui illius negotii recta expeditio commissa est.

Sectio secunda - De Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis rituum orientalium.

80. Institutio. — Specialem hanc Congregationem de Propaganda Fide pro negotiis rituum orientalium instituit Pius IX constitutione sua " Romani Pontifices „ 6 ian. 1862. Suffecta est Congregationi super correctione librorum orientalium, quae tamquam Congregatio distincta a Congregatione de Propaganda Fide erecta fuerat a Clemente XI cum proprio praefecto et secretario nec non pluribus cardinalibus et theologis virisque orientalium rituum et lin-

(1) Cfr. Haine, *loc. cit.*, n. 46; Wernz, *loc. cit.*, II, 665.

guarum peritis. Hanc praecesserant duae aliae Congregationes ab Urbano VIII erectae, altera super dubiis orientalium, altera super correctione euchologii Graecorum.

81. Constitutio. — Eius constitutio ita a Pio IX statuta est, ut scilicet haec Congregatio communem haberet cum Congregatione de Prop. Fide praefectum, alios vero omnes officiales distinctos, solis exceptis cardinalibus, quibus constat, qui ex constitutione " Romani Pontifices „ desumendi essent ex cardinalibus ipsius Congregationis de Propaganda Fide. Nunc duo sunt eminentissimi Patres, qui ad hanc pertinent Congregationem, qui tamen Congregationi de Prop. Fide non sunt adscripti. Voluerat praeterea Pius IX ut in hac Congregatione a se instituta exsisteret Cardinalis ponens a Romano Pontifice stabili modo eligendus, qui munere fungeretur sedulo dirigendi studia, quae necessaria essent ad colligendos ecclesiae orientalis canones et ad examinandos, ubi opus esset, omnes orientales libros, cuiuscumque generis essent, sive scilicet respicerent sacrorum bibliorum versiones, sive catechesim, sive disciplinam. Primus Cardinalis Ponens ab ipso Pio IX in constitutione erectionis constitutus fuit card. Carolus Reisach, cui die 29 dec. 1869 demortuo successit post aliquod tempus card. Pitra, qui hoc munus retinuit usque ad annum 1878, quo anno in secunda editione libelli cui titulus " La Gerarchia cattolica „, quae die 10 augusti publicata est cum immutationibus, quae locum habuerunt post electionem Leonis XIII, nulla iam amplius habetur huius muneris mentio. Etiam in nostra constitutione nec non in indice praepositorum et officialium in SS. Congregationibus, tribunalibus et officiis Romanae curiae, qui publicatus est in primo numero commentarii officialis " Acta Apostolicae Sedis „ de hoc peculiari munere siletur.

Consultores etiam huic Congregationi a Pio IX constituti sunt ab aliis consultoribus Congregationis de Propa-

ganda Fide distinctis, quorum unus semper est Secretarius S. C. de Prop. Fide, quemadmodum Secretarius istius Congregationis de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis semper est consultor S. Congregationis de Prop. Fide. Hi consultores, quos Pius IX voluit non solum theologica scientia, verum etiam rerum orientalium peritia instructos aliisque dotibus ornatos, quibus Congregationi utilitati et auxilio esse possunt, etiam nunc manent post constitutionem " *Sapienti consilio* „ a consultoribus Congregationis latini ritus distincti.

82. Competentia. — Ea probe definitur ab ipso Pio IX in sua citata constitutione. Ait enim: " Omnia itaque negotia, quae ex commemoratis decessoris nostri Gregorii XV litteris *Inscrutabili* aliorumque Romanorum Pontificum constitutionibus ad eamdem Congregationem de Propaganda Fide pertinent, erunt in posterum in duas plane distinctas classes divisa, nempe in negotia latini ritus et negotia orientalis ritus. Nova Congregatio a nobis instituta omnia orientalium negotia, etiamsi mixta, quae scilicet sive rei sive personarum ratione latinos attingunt, tractare debebit, nisi eadem Congregatio negotia ipsa ad generalem Propagandae Fidei Congregationem deferenda esse interdum existimaverit „. Haec S. Congregationis competentia nullam subiit immutationem ex nova constitutione. Imo in Normis peculiaribus, cap. 7, art. 6, n. 4 statutum expresse est: " Congregatio de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis sua munia ex integro servabit „.

83. Modus procedendi. — Modum quoque procedendi desumo ex citata constitutione Pii IX, qua particularia quaedam praescribuntur huic Congregationi propria, dum in aliis haec Congregatio ex ipsius etiam constitutionis expresso praescripto modum procedendi retinet, quem sequebatur altera Congregatio ritus latini. Haec igitur praescripsit Pius IX: " Praeterea volumus, ut Cardinales hu-

iusce novae Congregationis a Nobis hisce litteris delecti in primo conventu dividant inter se propria cuiusque orientalium nationis negotia. Atque huiusmodi divisio ita efficiatur, ut unusquisque Cardinalis stabili modo penes se habeat negotia unius vel plurium orientalium nationum, prout ei in divisione contigerit. Cum vero eveniat, ut aliquis Cardinalis suscepto munere perfungi non amplius queat, volumus, ut huius novae Congregationis Cardinales in ipsius Congregationis conventu praesentes optionis iure potiantur ita ut ultimus ex praedictis Cardinalibus post peractam optionem illius orientalis nationis negotia procuranda suscipiat, quae Cardinalis curatione vacaverint, quo omnes orientales nationes suum semper habeant Cardinalem relatorem, qui Congregationem accuratissime certiorem faciat de iis negotiis, in quae ipse incumbit „.

84. — Nova constitutio piana nihil quoad hoc immutavit, ut supra vidimus, quod scilicet directe respiceret huius Congregationis procedendi modum, quamvis velit, ut haec quoque Congregatio servet normas generaliter statutas pro omnibus Congregationibus. Dicitur enim in Normis peculiaribus (loc. cit.):

Congregatio de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis sua munia ex integro servabit. In iis tamen, quae internam officii disciplinam et modum tractandi negotia spectant, huius legis normis sive communibus sive peculiaribus inhaerebit.

Digna etiam attentione ea sunt, quae in iisdem Normis (loc. cit., n. 5) statuuntur, scilicet:

Circa huius Congregationis et Camerae Spoliorum administrationem, peculiaris norma quamprimum dabitur, quae a speciali Cardinalium coetu revisa per Emum Praefectum Summi Pontificis approbationi subiicietur.

Sectio tertia - De Commissionibus Congregationi de Prop. Fide annexis.

85. — De institutis seu coetibus huic Congregationi adiunctis constitutio nostra unum memorat, coetum scilicet pro unione ecclesiarum dissidentium. Qui coetus a s. m. Leone XIII Motu proprio " Optatissimae „ 19 mart. 1895 institutus est ad promovendam schismaticarum ecclesiarum reductionem ad unitatem ecclesiae. In quem finem ipse Leo XIII plura iam prius excogitaverat et perfecerat, saepius quoque ad eas gentes litteris datis, ut " Praeclara „ 20 iun. 1894 et " Orientalium dignitas „ 30 nov. 1894. Tandem hunc coetum instituit, qui peculiare esset ac stabile Consilium proprio munere et cura deditum reconciliationi dissidentium fovendae, ut ipse Pontifex loquitur in citato Motu proprio. Illud constare voluit ex nonnullis cardinalibus, quos Pontifex ipse nominatim designaret, quibusque ipse Pontifex praeesset, quique coram eo statos haberent conventus. His addidit convenientem consultorum numerum, qui ab ipso Pontifice designarentur, in quibus pari loco ii haberentur, quos Patriarchae catholici orientales tamquam legatos suos in Urbe consistentes, singuli singulos, destinassent. Unus ex consultoribus debebat esse ab actis eiusdem commissionis, cui propterea liceret ipsis pontificiis congressionibus eiusdem Commissionis interesse.

Nunc post Pianam constitutionem, quum haec Commissio Congregationi de Prop. Fide addicta fuerit, non videtur amplius Pontifex eius praefecturam retenturus, sed eamdem demandatam dicerem Emo Praefecto Congregationis de Prop. Fide. Haec dubitanter dixerim; nam quamvis de hoc Coetu expressa sit, ut diximus, mentio in constitutione " Sapienti consilio „, nulla tamen e contra mentio facta est, sive in indice praepositorum et officialium in SS. Congregationibus etc. publicato in officiali

ephemeride S. Sedis, sive in " Gerarchia cattolica „ huius anni 1909.

86. — Altera commissio, de qua siletur tum in constitutione Piana tum in citato indice praepositorum etc., tum in " Gerarchia cattolica „ huius anni, quaeque huic Congregationi addicta est, est Commissio ad revisendas constitutiones Institutorum religiosorum dependentium a S. Congregatione de Prop. Fide. Haec quidem Commissio, quum in nova constitutione statutum sit, religiosos missionarios a S. Congregatione de Prop. Fide ritus latini nullam amplius habituros dependentiam qua religiosos, eidemque subiectos permansuros tantummodo qua missionarios, suum scopum fere in totum amisisset, nisi in eadem constitutione statutum simul esset, S. Congregationem de Prop. Fide pro negotiis rituum orientalium in suo antiquo statu integre et sine immutatione permansuram esse. Quae igitur respiciunt loca aut personas huic Congregationi subiectas, et ad religiosos ordines aut instituta spectant, ea tractabuntur in posterum ab hac Commissione. Et de facto etiam post Pianam constitutionem pro his negotiis suos habuit conventus haec Commissio, quae habet praesidem Cardinalem nec non praelatum Secretarium et nonnullos consultores.

Commissio alia erat ad revisendas relationes dioecesium et vicariatuum apostolicorum dependentium a S. Congregatione de Prop. Fide super statu eorum ecclesiae. Haec Commissio, quae habebat praelatum praesidem et alium praelatum secretarium nec non plures consultores, nunc abolita est.

Alia quoque est commissio, de qua silent constitutio " Sapienti consilio „ et Normae eidem adiectae, cuius tamen mentio est in citato indice praepositorum etc. et in " Gerarchia cattolica „ huius anni. Ea est Commissio super revisione synodorum provincialium, quae habet cardinalem praesidem, praelatum secretarium et aliquot consultores.

87. — Specialis alia commissio super revisione et correctione librorum ecclesiae orientalis desumpta ex cardinalibus etc. S. Congregationis de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis non amplius memoratur in documentis supra citatis, et forte tamquam specialis commissio ab ipsa Congregatione distincta suppressa est.

§ 8. — De Congregatione Indicis.

Cohellius, op. cit., Congr. X, pro indice libror. prohibitor. — Gretser Iac., De iure et more prohibendi expurgandi et abolendi libros haereticos et noxios, Ingolst., 1653. — Raynaudus Theoph., Erotemata de malis ac bonis libris deque iusta aut iniusta eorum confixione, Lugduni, 1653. — Lunadoro, op. cit., cap. IX, Della Congregazione dell'indice e del segretario della medesima. — De Luca, Rel. rom. Curiae for., disc. 19. — Francus Daniel, Disquisitio academica de papistarum indicibus librorum prohibendorum et expurgandorum, Lipsiae, 1684. — Ortlob, Diss. phil. de Ephesinorum libris curiosis combustis, Lipsiae, 1708. — Boehmer Just., Dissert. iurid. de iure circa libros improbatae lectionis, Magdeb., 1726. — Schöttgen Chr., De indicibus librorum prohibit. et expurg. eorumque naevis[3], Dresd., 1733. — Ruele C. Mariano, Saggio dell'istoria dell'indice romano, Roma, 1739. — Catalani P., De Secretario S. Congregationis Indicis, Romae, 1751. — Schneidt, Ius et obligatio prohibendi libros, Wirc., 1768. — Fritsch Bern., Dissertationes de censura librorum et propositionum in negotiis religionis, Vratislaviae, 1775. — Zaccaria, Storia polemica della proibizione dei libri, Roma, 1777. — Peignot G., Dictionnaire critique, littéraire et bibliographique des principaux livres condamnés au feu, supprimés ou censurés, Paris, 1806. — Mendham Ios., The literary policy of the Church of Rom exhibited in an account of her damnatory Catalogues or indices, London, 1826. — Ernesti I., Ueber das Recht bes. der Hierarchie auf Censur und Bücherverbote, 1829. — Moroni, op. cit., Congregazione dell'indice dei libri proibiti. — Hoffmann F. L, Des Index prohibitifs et expurgatoires in Annuaires de la bibl. royale de Belgique, ann. X, 1849. — Heymans, De ecclesiastica librorum aliorumque scriptorum in Belgio prohibitione, Bruxellis, 1849. — Fessler, Das kirchliche Bücherverbot, Wien, 1858; Die römische Indexcongregation und ihr Wirken, München, 1863. — Ballès, La S. Congrégation de l'Index mieux connue et vengée, 1866. — Simor, De S. Congregatione Indicis, in Archiv. f. k. KR, XXI 46 ff., 1869.

Sachse, Die Anfänge der Büchercensur in Deutschland, 1870. — Zigliara, Il dimittatur e la spiegazione datane dalla S. Congr. dell'Indice 21 giugno 1880, Roma, 1881. — Passaglia, La Congregazione dell'Indice ed il cardinal Zigliara, Roma, 1882. — Reusch H., Der Index d. verbotenen Bücher, Bonn, 1883. — Poulain. L'index; son origine, son but et sa valeur, Dieppe, 1884. — Petit, L'index; son histoire, ses lois, sa force obligatoire, Paris, 1888. — Péries G., Du droit de l'Eglise de prohiber les livres dangereux, in Journal du droit canon iul. 1892. — Arndt Augustin, De libris prohibitis commentarii, Ratisbonae, 1895. — Dilgskron, De revisione et approbatione librorum typis describendorum (in Anal. eccl., 1891-97). — Hollweck I., Das kirchliche Bücherverbot, [2] Mainz, 1897. — Planchard, L'Index in Rev. théol. franc., mars, avril, mai, juin 1897. Desjardins, La nouvelle constitution apostolique sur l'Index, in Etudes mars, avril, mai, 1897. — Pennacchi Ios., In const. ap. " Officiorum ac munerum de prohibitione et censura librorum a Leone d. pr. Pp. XIII latam brevis commentatio, Romae, 1898. — Péries G., L'Index, comment. de la constitution apostolique " Officiorum „, Paris, 1898. — Moureau, La nouvelle législation de l'Index, Lille, 1898. — Boudinhon, La nouvelle législation de l'Index, Paris, 1899. — Hilgers F., Zur kirch. Gesetzgebung über verbot. Bücher, in Stimmen aus M. Laach I, 258 ff., 1899. — Schneider, Die neuen Büchergesetze der katholischen Kirche, Mainz 1899. — Arndt A., Die Vorschriften über das Verbot und die Censur der Bücher, Trier, 1900. — Hilgenreiner, D. kirchl. Vorzensur u. d. Partikularrecht, Wien, 1901. — Schneider, D. neue Index im Arch. f. k. KR., LXXXI, 291-302, 1901. — Hilgenreiner K., Der Index der verbotenen Bücher, in Th. prakt. Qrtschr. Heft 2, 1901. — Sleutjes, De prohibitione et censura librorum, Galopiae, 1903. — Hilgers J., Der Index der verbotenen Bücher in seiner neuen Fassung dargelegt und rechtlich — historisch gewürdigt Freiburg i. B. 1904. — Gennari C., La costituzione " Officiorum „ brevemente commentata [3], Roma, 1905; Ciolli, Comm. breve della costituzione leonina riguardo ai libri proibiti [2], Roma, 1906. — Veemeersch A., De prohibitione et censura librorum dissertatio canonico-moralis [4], Romae, 1906. — Hilgers I., Die Bücherverbote in Papstbriefen, Freiburg, 1907. — Arendt Guill., De quibusdam dubiis quae occurrunt in doctrinali interpretatione Leonianae constitutionis de prohibitione librorum brevis disceptatio, Romae, 1907. — Hurley, Comment. on the present index legislat., Dublin, 1908.

88. Institutio. — Post inventionem impressoriae artis magis persensit ecclesia pro munere sibi divinitus com-

misso conservandi inter fideles unitatem fidei eosque arcendi ab immundis pabulis, quae ipsos in sordes et carnis immunditiam praecipites agerent, necessitatem coercendi pravos libros et ab eorum lectura suos arcendi filios. Hinc iam die 1ª iunii anni 1501 Alexander VI saluberrimam edidit constitutionem " Inter multiplices „ pro quatuor Germaniae provinciis ecclesiasticis, in qua inter alia videre etiam quis non immerito posset praeformatam regulam decimam tridentinam. Aliquibus post annis in Concilio Lateranensi Vº Leo X iteravit leges in const. Alexandri VI contentas, eas ad totum orbem extendens, firmansque sanctionibus magis determinatis constitutione sua " Inter sollicitudines „ 4 maii 1515. Postea Clemens VII inseruit in celebri Bulla Coenae excommunicationem, quae postea futura erat secunda primae seriei in constitutione " Ap. Sedis „.

Ex his omnibus necessitas practica exsurrexit pro fidelibus habendi catalogum librorum, a quorum lectione abstinere ipsi deberent. Et ab initio habiti sunt catalogi quidam sive privato sive publico nomine et auctoritate (non tamen suprema) editi, prius Lovanii (a. 1546 editus ab Universitate Lovaniensi et ab Imperatore confirmatus, alius anno 1550 et alius anno 1558), postea in Hispania (est catalogus Lovaniensis anni 1550 publicatus ab inquisitore generali Hispaniarum cum appendice librorum in Hispania iam proscriptorum), Coloniae (anno 1549 ab Universitate Coloniensi), Parisiis (a. 1542 a facultate Sorbonica), Venetiis (a. 1549 a Nuntio Apostolico et alius anno 1554), Florentiae (a. 1552 ab inquisitione), Mediolani (a. 1554 ab archiepiscopo Mediolanensi).

Tandem Paulus IV in mandatis dedit S. Officio, ut componeret indicem generalem. Publicatus est anno 1557 eiusque nova editio accuratior in lucem prodiit duobus post annis. Huic indici moderationes quaedam de mandato ipsius Pauli IV a cardinale maiore inquisitore Michaele Ghislieri (postea Pio V) accesserunt. Novus postea

index, iussu Concilii Tridentini confectus, a Pio IV approbatus est et publicatus constitutione " Dominici gregis „ 24 mart. 1564. Indicis editiones plures postea secutae sunt usque ad novissimam Leonis XIII ab eodem Pontifice publicatam brevi " Romani Pontifices „ 27 sept. 1900.

Interim vero Pius V peculiarem instituit Cardinalium Congregationem, quae huic operi damnandi libros pravos eorumque indicem curandi praesset. Eam ipse instituit veluti Congregationem de reformando indice et corrigendis libris mense martio 1571, postquam anno 1570 Motu proprio diei 19 novembris Magistro S. Palatii iam fecisset plenissimam potestatem libros editos corrigendi. Hanc Congregationem postea Gregorius XIV constitutione " Ut pestiferarum „ 13 sept. 1572 in meliorem redegit formam, eamque Sixtus V in constitutione sua " Immensa „ 22 ian. 1588 confirmavit et ratam habuit. In constitutione nostra Congregatio haec integra mansit nullis fere immutationibus obnoxia.

89. Constitutio. — Constituitur autem Congregatio pluribus cardinalibus, quorum unus est Congregationis Praefectus. His adduntur tamquam Assistens perpetuus Magister S. Palatii Apostolici, religiosus ordinis Praedicatorum, " cuius antiquitus in Curia singularis ista cura erat „ ait De Luca (loc. cit., disc. XIX, n. 18), et alter eiusdem ordinis religiosus tamquam Secretarius. Nec desunt huic Congregationi consultores plures et quidam relatores (nunc unus est relator) ex utroque clero seculari et regulari selecti, " alii quidem thologi, alii utriusque iuris periti, alii sacra et profana eruditione praestantes, ut ex eorum coetu pro varietate librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque iudicium „, ait Haine (loc. cit., n. 49).

90. Competentia. — Competentia huius Congregationis facili ratione exponitur dicendo, eam competentem esse ad

censuram librorum et ad damnationem eorum, qui fidei aut bonis moribus adversantur vel contra fidem aut bonos mores aliquod praeseferunt periculum, attentis legibus pontificiis exsistentibus et peculiaribus circumstantiarum adiunctis.

Obligant autem decreta huius Congregationis libros proscribentia aut damnantia ubique in ecclesia, nec ullo modo admitti potest aliqua esse loca, in quibus eius decreta non obligent (Arndt, De libris prohibitis, n. 87 sqq.).

Quemadmodum autem Congregatio potest per prohibitionem librorum auctoritative et obligatione imposita fideles arcere ab eorumdem lectione, ita potest super hac prohibitione dispensare eorumdemque librorum retentionem seu lectionem particularibus fidelibus, vel etiam aliquando, immutatis forte circumstantiis, fidelibus omnibus permittere. (Cfr. const. Leonis XIII " Officiorum ac munerum „). Multo magis autem potest novam libri, post damnationem emendati et correcti, permittere editionem. Constitutione autem nostra illud etiam Congregationi committitur, ut in memoriam ordinariorum reducat quam religiose teneantur in religiosa scripta animadvertere, eaque S. Sedi denunciare ad normam const. " Officiorum ac munerum „. Competentia huius Congregationis cumulativa est cum competentia Congregationis S. Officii.

91. Modus procedendi. — Forma, qua haec Congregatio procedere hucusque debebat in prohibendis et damnandis libris pravis (eademque fere est ea, qua utitur Congregatio S. Officii) determinatur accuratissime ab instructione Clementis VIII et constitutione Benedicti XIV " Sollicita „. VII id., iul. 1753.

In constitutione Benedictina ea sic describitur vel potius auctoritative constituitur: " Is (Secretarius) autem a libri delatore percontabitur diligenter, quas ob causas illum (librum) prohiberi postulet, tum librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositae accusationis subsi-

stentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis consultoribus, ab ipso, praevia Summi Pontificis aut cardinalis Praefecti, vel eius qui Praefecti vices supplet, approbatione eligendis; quorum collato consilio, si liber censura et nota dignus videatur, unus aliquis relator ad ferendum de eo iudicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam eius censura ad cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam consultorum Congregationem, quam olim *parvam* dixerunt, nos autem *praeparatoriam* vocabimus, ut relatoris animadversionibus ad librum collatis de earum pondere iudicium fiat. Huiusmodi congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam saepius, si oportuerit, ab ipso Congregationis secretario convocanda erit... Eique semper intererit Magister S. Palatii pro tempore exsistens una cum sex aliis e numero consultorum, singulis vicibus pro qualitate argumenti et materiae, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus consultoribus et de relatore constitutum est, a secretario eligendis, praeter secretarium ipsum, cuius partes erunt in tabulas referre consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum relatoris censura. In generali demum congregatione omnia illa servari debebunt, quae superius statuta sunt pro Congregatione S. Officii circa librorum examen „.

Post haec quaedam Pontifex statuit pro casu, quo agatur de libro auctoris catholici, qui sit integrae famae et clari nominis vel ob alios editos libros vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, voluitque ut ante omnia liber non prohibeatur, nisi adiecta clausula *donec corrigatur* vel *donec expurgetur*, si hoc idem fieri possit nec grave quid obstet. Hac autem conditione adiecta, non statim decretum proscriptionis edatur, sed res prius cum auctore

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

communicetur iis ipsi indicatis, quae corrigenda sunt. Si auctor nolit cum Secretario de hac re agere vel correctionem detrectet, decretum congruo tempore edatur; si vero auctor novam instituerit libri editionem cum opportunis mutationibus, tunc supprimatur decretum proscriptionis, nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta sint, quo in casu decretum publicandum quidem, sed ita ut omnes intelligant primae editionis tantum exemplaria fore interdicta, secundae vero iam emendatae permissa.

Statuit praeterea Pontifex ut quando res sit de auctore catholico illustris nominis et de opere, quod correctionem admittat, Congregatio vel auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum ex consultoribus designet, qui ex officio operis patrocinium defensionemque suscipiat.

Addit insuper se tum Congregationi S. Officii tum Congregationi huic indicis libenter adfuturum quoties de libro, cuius materia gravioris momenti sit, iudicium agatur.

92. — Haec omnia immutata manserunt in constitutione nostra piana. Unum tamen additum est, et haud parvi momenti. Scilicet hucusque, ut vidimus, Congregatio ad prohibendum librum non procedebat, nisi praevia denuntiatione.

Constitutio "Sapienti consilio„ Congregationi hoc etiam munus attribuit, ut ex officio etiam inquirat, qua opportuniore licebit via, si quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis damnanda.

Administri, consultores, cardinales huius Congregationis strictissimo tenentur secreto circa ea, quae librorum prohibitionem respiciunt, et quidem de hoc secreto servando iuramentum praestare debent iuxta formulam S. Officii. Utriusque autem Congregationis seu S. Officii et indicis administri, consultores et cardinales ea omnia et sola secum invicem communicare possunt, quae ad librorum prohibitionem pertinent.

§ 9. — De Congregatione SS. Rituum.

Sectio prima - De ipsa Congregatione SS. Rituum.

Cohellius, op. cit., Congr. V, pro sacris ritibus et caeremoniis. — Lunadoro, op. cit., cap. XIV, Della Congregazione de' sagri Riti, del promotore della fede e di altri personaggi di detta Congregazione. — De Luca, Rel. Rom. Curiae for., disc. 18. — Danielli, op. cit., in h. t. - Benedictus XIV, De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione, Romae. 1747-49. - Acta canonizationis SS. Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Iosephi a Leonissa et Catharinae de Ricciis una cum apostolicis litt. SS. D. N. Benedicti XIV et vaticanae basilicae ornatus descriptione, Romae, 1749. - Benedicti XIV P. O. M. ... appendices ad quatuor libros de servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione, Romae, 1749. - SS. D. N. Benedicti XIV P. O. M., acta et decreta in causis beatificationum et canonizationum aliisque ad sacrorum rituum materiam pertinentibus ad annum pontificatus sui decimum, Romae, 1751. — Moroni, op. cit., Congregazione de' sagri riti. — De Azevedo Emm., SS. D. N. Benedicti PP. XIV doctrina de servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione in synopsim redacta, Neapoli, 1854. — Gardellini Alois., Decreta authentica Congr. SS. Rituum ex actis eiusdem collecta, Romae, 1856 sqq. — Mühlbauer W., Decreta authentica Congr. SS. Rituum et instructio Clementina ex actis eiusdem collecta ab Aloisio Gardellini in usum cleri commodiorem ordine alphabetico concinnata, Monachii, 1863-67. - Decreta authentica Congr. Sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata, Romae, 1898 sqq.

93. Institutio. — Instituta est haec Congregatio a Sixto V constitutione sua " Immensa „. Eidem a SSmo Dno Pio PP. X unita fuerat motu proprio " Quae in ecclesiae bonum „ diei 28 ian. 1904 Congregatio indulgentiarum et ss. reliquiarum, quae nunc constitutione hac nostra " Sapienti consilio „ extincta fuit, et quoad materiam dismembrata ita ut ea quae ad indulgentias pertinent, Congregationi S. Officii fuerint demandata, ut diximus, ea vero, quae pertinent ad ss. reliquias, huic Congregationi addicta remanserint.

94. Constitutio. — Haec congregatio constat Cardinali Praefecto et, quemadmodum aliae omnes, cardinalibus in maiori aut minori numero a Summo Pontifice electis. His adiungitur secretarius, quem adiuvat substitutus. Praeter hos sunt plures praelati officiales, quorum primum locum obtinet Sacrista Sanctitatis Suae; postea unus venit e protonotariis apostolicis de numero participantium, qui stabili ratione huic muneri adscribitur; deinde decanus S. Rom. Rotae cum duobus antiquioribus auditoribus, magister S. Palatii, promotor fidei, assessor seu fidei subpromotor et consultores plures, inter quos nulli sunt consultores nati, ut dicitur (1), sed nonnulli habentur religiosi ordines, quibus privilegium est ut unus ex suis allegetur consultoribus; ita a Benedicto XIII statutum est, ut semper unus e consultoribus assumatur ex familia minorum S. Francisci conventualium (Brev. 7 aug. 1725), alter ex congregatione clericorum regularium Barnabitarum (Brev. 1 oct. 1725), tertius ex ordine fratrum servorum B. M. Virginis (Brev. 8 aug. 1726). His Benedictus XIV addidit unum semper desumendum ex Societate Iesu (Const. " Constantem „ 24 apr. 1748), cui muneri primum delegit p. Emmanuelem de Azevedo, suorum operum editorem et epitomatorem celeberrimum.

Magistri quoque ceremoniarum in hac Congregatione partem habent, eorumque votum, quando dubium agitur de sacris ritibus, quandoque exquiritur.

(1) Hoc quidem, si attendamus recentiorem praxim. Nam tempore Benedicti XIV, ipso testante (de beatif. et canoniz. SS., lib. I, c. 16, n. 13), tales erant Auditor SSmi et Assessor S. Officii. Ultimis hisce annis non ita certe fuit. Plura consului volumina " Gerarchia cattolica, ecc. „, ubi adnotantur varii consultores Congregationum et neque Auditorem SSmi neque Assessorem S. Officii inter huius Congregationis consultores inveni. Cfr. ad ex. ann. 1882, in quo neuter annumeratur, et ann. 1894, 1897, 1899, in quibus deest semper Assessor S. Officii. Nec dicendum idipsum subintelligi, quia in congregatione S. Officii mentio fit consultorum natorum.

Sunt praeterea et alii administri, quorum primus est hymnographus, cuius munus in hoc consistit, ut officia sanctorum et alia ad id pertinentia ordinet et corrigat.

95. — Pro duplici principaliori munere, quod habet haec Congregatio, dirigendi scilicet ea, quae pertinent ad liturgiam et curandi ea, quae spectant ad beatificationem et canonizationem sanctorum, duplicem etiam retinet omnino distinctum procedendi modum. Qui duplex procedendi modus explicatur in distinctis prorsus et diversis sessionibus seu congressibus huius Congregationis. Duo isti Congressus ii sunt, qui vocantur Congregatio ordinaria et Congregatio extraordinaria.

96. — Congregatio ordinaria pertractat omnes causas ad Congregationem pertinentes, iis exceptis, quae referuntur ad dubia maiora, circa beatificationem et canonizationem Sanctorum. Huic enim ordinariae congregationi demandatum etiam erat munus resolvendi minora dubia circa causas beatificationis, ea scilicet dubia, quae praevia sunt et quasi praeparatoria quaestionibus formalibus et, ut ita dicam, substantialibus, seu de heroicitate virtutum pro confessoribus, et de facto et causa martyrii pro martyribus, nec non de miraculis pro utrisque. Postea munus examinandi legitimitatem processuum, tum ordinariorum, tum apostolicorum, super virtutibus et miraculis servorum Dei et decidendi de eorum validitate ex hac Congregatione in auditores Rotae sub praesidentia cardinalis ponentis translatum est (Secret. Status, 23 oct. 1878), quousque auditores iudicum officium iuxta suum munus non exercerent. Postea in eosdem auditores sub praesidentia cardinalis ponentis translatum fuerat munus examinandi et decidendi dubia super non cultu et fama in genere servorum Dei (Secr. Status, 19 dec. 1895). Instaurato tandem ad pristina gerenda munera tribunali S. Rotae romanae, revocatae sunt a S. Congregatione consistoriali

decreto 27 nov. 1908 dispositiones supra memoratae Secretariae Status dd. 23 oct. 1878 et 19 dec. 1895. Et Summus Pontifex ad easdem causas pertractandas constituit Congregationem particularem constantem ex aliquot cardinalibus pertinentibus ad S. Congr. Rituum, nempe praefecto, ponente aliisque quinque ab ipsa S. Congregatione designandis nec non ex praelatis officialibus ipsius S. Congregationis, nempe protonotario apostolico, secretario, promotore fidei ac subpromotore. S. R. C., 9 decembris 1908.

97. — Congregatio extraordinaria dispescitur in triplicem quamdam speciem. Habetur enim congregatio antepraeparatoria, praeparatoria et generalis, quae omnes non differunt quoad materiam, circa quam versantur, quum in omnibus discutiantur dubia maiora circa beatificationes et canonizationes, sed quoad personas, quae eas constituunt, et quae in ipsis votum proferunt.

Congregationi antepraeparatoriae praesidet cardinalis causae ponens seu relator, ut dicitur, et proinde cogitur in eius aedibus. In ea dant votum consultores tantummodo, qui etiam unice adsunt.

Congregationi praeparatoriae praesidet cardinalis congregationis praefectus. Eidem interveniunt cardinales omnes ad Congregationem pertinentes, sed votum dant consultores tantum. Cogitur in palatio vaticano in aula Congregationum.

Generalis congregatio habetur sub praesidentia ipsius Romani Pontificis. Ei interveniunt et in ea votum dant cardinales omnes et consultores. Hi quidem primi, qui postquam omnes votum dederunt, simul omnes exeunt, et tunc votum suum aperiunt cardinales.

98. Competentia. — Huius Congregationis competentia non parva hucusque erat. Cura enim ipsi incumbebat non solum invigilandi ut praescripti ritus in missis, divinis

officiis, administratione sacramentorum et ceteris actibus cultus observarentur ab omnibus, et in omnibus Urbis et orbis ecclesiis, nec non in cappella ipsa pontificia; ceremonias restituendi, si exsolevissent, aut reformandi, si depravatae fuissent; emendandi libros liturgicos vel reformandi pro rerum et circumstantiarum necessitate; examinandi et concedendi recitationem novorum divinorum officiorum; operam dandi in beatificatione et canonizatione sanctorum et in celebritate festorum dierum; sed etiam curandi ut reges et principes eorumque oratores aliaeque personae, etiam ecclesiasticae, ad Urbem curiamque romanam venientes pro Sedis Apostolicae dignitate honorifice exciperentur et controversias de praecedentia aliasque huiusmodi summarie terminandi et componendi. Hic erat ambitus competentiae eidem a Sixto V institutore attributae.

99. — Constitutio " Sapienti consilio „ in multis huius Congregationis competentiam restrinxit. Eidem enim ademit non solum cognitionem contentionum omnium sive de praecedentia sive de aliis huiusmodi (quae Rotae aut Congregationi Concilii demandata sunt pro diverso modo, quo tractari debent), sed etiam ipsam ordinationem ceremoniarum in cappella pontificia, quae Congregationi Ceremoniali commissa est. Quare, ut clare exponitur in ipsa constitutione Piana:

Haec Sacra Congregatio ius habet videndi et statuendi ea omnia, quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura, aliaque id genus, de quibus, sive servato iudiciario ordine sive ratione disciplinae, hoc est, uti aiunt, *in linea disciplinari* disceptetur.

Eius proinde est praesertim advigilare ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique

omnibus, quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.

Denique ea omnia exequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad Sacras Reliquias quoquo modo referuntur.

Quae omnia distinctius etiam declarantur in Normis peculiaribus, ubi haec habentur:

Itaque quum huius proprium et cum aliis non commune sit munus curandi ut, in universa Ecclesia latina, sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis; idcirco debet:

a) advigilare liturgicis omne genus libris Ecclesiae latinae, eos inspicere, corrigere aut reprobare, salva Sancti Officii competentia in iis, quae fidei capita, seu dogmata, respiciunt;

b) excutere atque approbare nova officia divina et calendaria;

c) dubia de ritibus iudicare ac dirimere;

d) quae hac in re necessaria videantur temperamenta, indulta, facultates concedere, veteri retento catalogo, novis tamen disciplinae normis circumscripto, iis praesertim quae superius allata sunt *num. 10*, de Congregatione Sacramentorum, et *num. 4* et *5*, de Congregatione Concilii.

100. Modus procedendi. — Constitutio nostra modum procedendi huius S. Congregationis breviter et dilucide statuit in Normis peculiaribus, ubi haec habentur:

Negotiis ad plenam Congregationem deferendis aut in Congressu tractandis erunt aptandae regulae haud semel indicatae in superius memoratis Congregationibus, et superiore *cap. II.*

In causis *Beatificationis* et *Canonizationis* standum normis eius rei propriis ac peculiaribus, servatis tamen semper huius legis praescriptionibus ad hoc genus materiae pertinentibus.

Circa sacras Reliquias, Congregatio Rituum inhaerebit praescriptis Const. *In ipsis,* die VI mensis Iulii a. MDCLXIX, superius memoratae sub *art. I,* de Sancto Officio.

De modo servando in introducendis et ad exitum perducendis causis beatificationis et canonizationis non est hic locus disserendi.

Sectio altera - De Commissionibus Congr. SS. Rituum adnexis.

a) **Commissio seu coetus liturgicus.**

101. — In praefatione, quae addita est novae editioni decretorum Congr. SS. Rituum, cuius primum volumen prodiit a. 1898 ex typis typographiae polyglottae S. Congr. de Prop. Fide, et titulus est: " Decreta authentica Congregationis Sacrorum rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata sub auspiciis SS. D. N. Leonis PP. XIII „, haec inter alia leguntur: " Iamvero anno 1891 ad finem vergente, novae huius collectionis (collectionis scilicet ann. 1856-58) exemplaria pariter desiderari coepta; et eapropter quarta totius operis editio communiter exoptabatur, imo et per librarios aeque ac per liturgiae studiosos a S. Rituum Congregatione vehementer flagitabatur. Haec tamen, antequam bonis huiuscemodi honestisque votis obsecundandi consilium iniret, necessum decorumque esse duxit ut opus in toto perquam diligenti ac fideli examine excuteretur; quatenus illud depressa inutilium responsorum sarcina expediretur; rescripta inter se minus congruentia componerentur; vetus sacrorum rituum disciplina ad novae recentiorisque normam informaretur; codex denique liturgicus integra atque incontroversa auctoritate praestans exsurgeret; simulque virorum quo-

rumcumque ecclesiasticorum, in primis studiosorum, mole et impendio imminutus, usui atque commoditati aptaretur. Quamobrem commissionem, quam nuncupat, sive coetum sex liturgiae rei peritorum instituit; cuius foret decretorum rescriptorumque a SS. Rituum Congregatione quovis tempore editorum summam mature prudenterque per singulas partes aequa iudicii lance pensitare, eo consilio etc. „. Hoc fuit igitur primum commissionis liturgicae initium, cuius tamen mentio in " Gerarchia cattolica „ non fit, nisi primitus anno 1898. Edita iam et ad finem perducta collectione decretorum, commissio exsistere perseveravit et perseverat in praesens, eiusque finis nunc est, ut difficilioribus quaestionibus liturgicis studeat, quas Congregatio SS. Rituum, ordinarie loquendo, ipsa inconsulta, non dirimit. Non multis constat membris, quae hucusque septenarium numerum non excesserunt. Unus ex ipsis praesidis, alter secretarii munus explet.

b) **Commissio seu coetus historico-liturgicus.**

102. — Instituta est a Leone XIII die 28 nov. 1902. Eius finis est ut consiliis suis adiuvet congregationem in iis, quae ad historiam pertinent vel cum historia connectuntur. Componitur paucis quidem, sed praestantissimis viris, quorum unus praesidem (Al. Duchesne), alius secretarium (Io. Mercati) agit.

c) **Commissio pro sacro concentu.**

103. — Commissio seu coetus pro concentu, vel, prout appellatur in *Gerarchia cattolica,* " pro musica et cantu sacro „ institutus est a Summo Pontifice Pio X, anno 1904, quo anno aliam quoque commissionem instituerat Pontifex, commissionem scilicet pontificiam pro editione vaticana librorum liturgicorum gregorianorum. Neutri commissioni cardinales allecti sunt, imo praesidentia utriusque deman-

data est Rmo Dno Iosepho Pothier Ab. O. S. B. Commissio pro sacro concentu nullos habuit consultores; alia habuit plures.

Quoad obiectum harum commissionum conferri possunt Motus proprius de restauratione musicae sacrae 22 nov. 1903, qui constituit codicem iuridicum musicae sacrae, et, quamvis italice conscriptus, vim legis habet ex voluntate expressa Pontificis pro universa ecclesia; litterae Pontificis ad card. Respighi Urbis vicarium de restauratione musicae sacrae 8 dec. 1903; decretum Urbis et Orbis quoad applicationem praedicti Motus proprii 8 ian. 1904; alter motus proprius de editione vaticana librorum liturgicorum melodias gregorianas continentium 25 apr. 1904; decretum seu instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium 11 aug. 1905; decretum, quo editio vaticana librorum cantus gregoriani typica declaratur 14 aug. 1905.

Nota tandem quod commissio pro editione vaticana librorum liturgicorum cantus gregoriani non amplius memoratur in constitutione " Sapienti consilio „, et in indice officiali praepositorum etc. congregationum, et in *Gerarchia cattolica* huius anni. Quare abolita videtur, forte quia eius munus cessavit, quum in decreto 14 aug. 1905 iam diceretur commissio pontificia, mandata et desideria Pontificis adimplens, optatam editionem summo studio ac diligentia parasse atque perfecisse. Mansit quidem in suo esse commissio tres adhuc annos, quia eam invenimus memoratam et inscriptam in *Gerarchia cattolica* ann. 1906, 1907, 1908, forte ad dirimenda dubia, si quae essent, sed postea, ut diximus, non memoratur amplius.

§ 10. — De Congregatione ceremoniali.

Lunadoro, op. cit., cap. XIV, della Congregazione del cerimoniale e de' maestri delle cerimonie. — Moroni, op. cit., Congregazione del cerimoniale.

104. Institutio. — Dicunt generatim Sixtum V hanc instituisse Congregationem simul cum aliis, quas constituit constitutione sua " Immensa „. Haine (loc. cit., n. 57) tamen asserit eam a Gregorio XIII, immediato Sixti V antecessore, erectam fuisse, additque in nota ita certissime constare ex regestis huius S. Congregationis, licet erectionis instrumentum non reperiatur. Quare non est dicendum eam esse participationem seu derivationem S. Congregationis Rituum aut ei veluti subsidiariam. Potius S. Congregatio Rituum, quae posterior est, partem quamdam habuit iurisdictionis, quae Congregationi ceremoniali demandata fuerat circa ordinationem functionum liturgicarum in cappella pontificia. Quare post constitutionem Sixtinam hae duae Congregationes, Ceremonialis scilicet et SS. Rituum, videntur circa hoc habuisse iurisdictionem cumulativam.

105. Constitutio. — Constituitur autem Congregatio pluribus Patribus cardinalibus, inter quos semper annumeratur Decanus S. Collegii, qui in eadem Congregatione semper gerit munus Praefecti. Quod ideo constitutum dicitur, quia Decanus S. Collegii ratione suae antiquitatis praesumitur omnium optime instructus de iis, quae pertinent ad liturgiam et ad ceremonias servandas in cappella et in aula pontificia.

Habet praeterea congregatio secretarium, qui saepe quidem, sed non semper, ex magistris ceremoniarum pontificiarum seu apostolicarum desumitur, et subsecretarium. Consultores habet omnes ceremoniarios supra dictos, et non alios.

106. Competentia. — Ad hanc congregationem pertinet regimen et directio liturgiae quoad omnes functiones papales aut in pontificia cappella explendas, nec non quoad functiones in Urbe peragendas a Patribus Cardinalibus, ut debitus eis honor servetur. Ipsa statuit ceremoniale sequendum in receptione imperatorum, regum, aut legatorum, qui ab ipsis ad S. Sedem mittuntur. Ipsa instructiones dat cardinalibus Legatis a latere, ut missionem suam cum S. Sedis decore perficiant. Haec pariter Congregatio instruit illum ex numero nobilium militum custodiae ipsius personae Pontificis deputatorum (*Guardie nobili pontificie*) et pontificium ablegatum, qui ad novos cardinales extra Urbem residentes nuncium officiale suae promotionis et pileolum ac birretum rubrum deferre debent, quemadmodum etiam ad novum Cardinalem mittit instructionem circa modum, quo excipere debet hos sibi a Pontifice missos. Instruit quoque novos cardinales de modo seu formulario, quo uti debent ad mittendas litteras (praesertim renunciatorias suae promotionis) ad reges catholicos et ad alios cardinales extra Urbem. Demum si de praecedentiis aut praeeminentiis inter Cardinales aut Legatos principum ad S. Sedem dubium aut contentio oriatur, ab hac Congregatione dissolvitur et componitur.

Breviter huius congregationis competentia a constitutione nostra ita exponitur:

Haec Sacra Congregatio iura hactenus ipsi tributa integra servat; ideoque ad eam pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum, et sacrarum functionum, quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quaestiones cognoscit de praecedentia tum Patrum Cardinalium, tum Legatorum, quos variae nationes ad Sanctam Sedem mittunt.

107. Modus procedendi. — Minora negotia et ea, quae iam alias dirempta sunt, ipsa Secretaria Congregationis

expedit; maiora deferuntur ad plenam Congregationem, et decisio Pontifici submittitur.

§ 11. — De Congregatione pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis.

Moroni, op. cit., Congregazione degli affari ecclesiastici straordinari.

108. Institutio. — Haud semel Romani Pontifices pro gravioribus necessitatibus christianae reipublicae, quae aliquando impendebant, particulares quasdam et transeuntes cardinalium congregationes instituere. De his meminit card. De Luca (loc. cit., disc. V, n. 23 sqq.): " In consistorio Papa cum cardinalibus agit de gravioribus Sedis Apostolicae et ecclesiae universalis vel principum spiritualibus ac temporalibus negotiis iuxta eorum qualitatem et circumstantias; quumque non semper expediat de illis publice coram omnibus cardinalibus loqui, hinc isto casu Papa pro eorumdem negotiorum consultatione et directione aliquorum cardinalium particularem congregationem deputare solet, quae *status* dicitur, istaque proinde non est congregatio fixa et continua, sicut sunt aliae, de quibus infra; sed in singulis occurrentiis particulariter deputari solet, variando in qualibet cardinales aliosque ministros pro negotiorum qualitate vel temporum opportunitate „.

Hunc morem secutus Pius VI anno 1793 instituit extraordinariam Congregationem sub titulo " Congregatio super negotiis ecclesiasticis regni Galliarum „, quam postea Pius VII anno 1805 pleniori decoravit titulo: " Congregatio e negotiis ecclesiasticis extraordinariis „. Suam activitatem explicuit congregatio haec, quousque anno 1809 Pius VII in exsilium pulsus est. Quum autem idem Pontifex anno 1814 iterum Romam in urbem suam rediit, quum res ecclesiae adhuc persentirent incommoda et consequentias damni plenas pro re catholica anteactae persecutionis, die 19 iulii 1814 instituit novam congregatio-

nem, cui titulum dedit: " Congregatio extraordinaria praeposita negotiis ecclesiasticis orbis catholici „. Epitheton illud *extraordinariae* congregationi datum iam inde ab anno 1827 sublatum est, et habuimus ordinariam quamdam Congregationem, cui titulus ille fuit, quem nunc quoque retinet in ipsa nova constitutione piana: " Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis „.

109. Constitutio. — Huius congregationis constitutio aliquid praesefert extraordinarii, quod non solum obtinet nunc post constitutionem " Sapienti consilio „, sed obtinuit etiam ante eam. Caret enim haec Congregatio praefecto suo, quum neque Pontifex eius praefecturam sibi retineat, neque eam cuidam Cardinali committat. Munus tamen praefecti in ea explebat Cardinalis a secretis Status, non qua Praefectus Congregationis, sed qua Secretarius Status; quod et nunc post pianam constitutionem verificatur.

Hucusque haec Congregatio habuit tamen suam secretariam cum suo secretario. Primus secretarius istius Congregationis (iuxta institutionem Pii VII 19 iul. 1814) fuit p. Franciscus Fontana, tunc praepositus generalis Barnabitarum, postea cardinalis. Habuit praeterea Congregatio suos officiales et consultores proprios.

Nunc post constitutionem pianam Congregatio haec suum habet secretarium, sed secretaria caret, cuius locum tenet prima sectio Secretariae Status. Consultores etiam aboliti sunt.

110. Competentia. — Ea definitur a constitutione piana his verbis:

In ea tantum negotia Sacra haec Congregatio incumbit, quae eius examini subiiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem *Secretarium Status*, praesertim ex illis, quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent, et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur.

Nec pressius definiri potest. Quod evidens fit perpendenti hanc Congregationem pro *extraordinariis* ecclesiasticis negotiis praesertim fuisse constitutam.

§ 12. — De Congregatione Studiorum.

Cohellius, op. cit., Congregatio XIX pro Universitate studii romani. — Moroni, op. cit., Congregazione degli studii. — Caterini Prosp., Collectio legum et ordinationum de recta studiorum ratione iussu Emi ac Rmi Domini Cardinalis Aloysii Lambruschini SS. D. N. Gregorii XVI P. M. a Secretis Status, Sacrae Congregationis studiis moderandis praefecti etc., Romae, 1841. — Capalti Hann., Collectio legum et ordinationum de recta studiorum ratione ab anno 1842 usque ad annum 1852 iussu Card. Raphaelis Fornari praefecti... continuata

111. Institutio. — " Illud etiam cogitantes, quod litterarum cognitio liberalesque doctrinae et disciplinae, quibus iuventus in publicis gymnasiis instruitur et eruditur, magnam christianae reipublicae, si cum pietate coniungantur, afferunt utilitatem...; ob eam sane causam romani gymnasii eiusque universitatis ornandae et amplificandae curam merito gerimus... Itaque ut illius rationibus quam optime prospiciamus, cardinales quinque eidem gymnasio et universitati illiusque reformationi praeficimus „. Ita Sixtus V in sua const. " Immensa „, instituens hanc Congregationem sub hoc titulo: " Congregatio decima, pro Universitate Studii romani „. Haec Congregatio postmodum fere cessasse dicenda est, quum anno 1824 die 28 augusti Leo XII constitutione sua: " Quod divina sapientia „, qua ordinata fuit a Pontifice methodus studiorum in ditione pontificia, mentione facta indirecte Sixtinae institutionis, novam instituit Congregationem, quae tum Romae tum in pontificia ditione studiis praeesset. Post eversionem Status pontificii a. 1870 Congregatio haec, quae etiam in nova constitutione piana integra manet, non solum non cessavit, sed maius etiam incrementum sumpsit.

112. Constitutio. — Haec Congregatio constat, prout aliae generatim, convenienti Cardinalium numero pro arbitrio Pontificis, quorum unus munus gerit Praefecti. Habet etiam suum secretarium, paucos quosdam officiales et suos consultores.

113. Competentia. — Congregatio iuxta institutionem Sixtinam activitatem suam exercere debebat intra sequentes limites ab ipso Pontifice in sua constitutione his verbis designatos: " Quibus (Cardinalibus Congregationis) concedimus, ut quum opus fuerit, praeclaros theologiae magistros, iurisconsultos egregios et liberalium artium professores eximios undecumque ad iuventutem erudiendam evocent. Qui morum integritate, eruditione atque elegantia litterarum non minus praestent quam peritia, usuque docendi assiduisque praelectionibus iuvenes instruant, utque singulis scientiarum magistris pro meritorum ratione, re tamen nobiscum aut cum successoribus nostris participata, stipendium constituant. Insuper quum in hac alma Urbe nostra, singulari Dei beneficio, inter alias discentium sholas Graecorum, Maronitarum et neophytorum, ingenti Pontificum liberalitate atque munificentia, erecta sint collegia congruisque reditibus dotata, in quibus sacra theologia liberalesque artes hebraice, graece, arabice et chaldaice edocentur, eisdem cardinalibus iniungimus, ut horum collegiorum alumnos ad litterarum studia ardentiori animo complectenda, quod ad fidei catholicae propagationem et litterarum ornamentum et ingenia excolenda maxime pertinet, opportune pro eorum pietate et prudentia, omni adhibito studio, excitari curent. Denique quum in praecipuis christiani orbis partibus Sancta haec Apostolica Sedes, ut pia mater, insignes quasdam Universitates, in quibus sacrarum litterarum, legum et artium praestantissima studia florent, olim in tutelam et clientelam receperit suam, mimirum Parisiensem, Oxoniensem, Bononiensem, Salamantinam, ut in eis scilicet ex Apostolicae Sedis pro-

tectione bonarum artium studia tanto maiori cum fructu excolerentur, nos, et illas ipsas et ceteras catholicas Universitates paterna benevolentia complectentes, nec ipsam Oxoniensem, quantum in nobis est, deserentes, sed ex intimo animi affectu ad matris gremium et ad viam salutis revocantes, omnesque intimo cordis affectu et summa benevolentia prosequentes ac sub nostra et beati Petri Apostolorum principis protectione iterum suscipientes, eidem congregationi imponimus, ut earumdem universitatum atque ad eas pertinentium negotiorum apud Sedem Apostolicam curam gerat, illarumque necessitates nobis successoribusque nostris ordine exponat, ut eis ex paterna caritate opem et auxilium afferre valeamus, eosque interdum per litteras visitet, nostroque nomine catholicis viris apostolicam benedictionem impertiatur, illisque, ut prospera cuncta eveniant, aliisque vero spiritum consilii sanioris a Deo optimo maximo deprecetur „.

Leo XII in nova eiusdem Congregationis institutione eius finem eiusque competentiam aliquatenus restrinxit. Statuit enim: " Sacrae huiusmodi congregationi universitates omnes, publicae ac privatae scholae Urbis ac totius pontificiae ditionis, quodvis etiam collegium ceterique erudiendis adolescentibus addicti parento in iis omnibus, quae ad institutionem pertinent. Hasce constitutiones ac ceteras, quae in posterum in lucem prodierint, sacra Congregatio diligentissime servandas curabit. Si quando s. Congregationi placuerit universitatem aliquam, seu scholam publicam, vel aliud tradendae doctrinae institutum publicum invisere, per legatum aliquem id praestet, qui aut s. Congregationem de eorum statu certiorem reddat, aut ex eiusdem auctoritate provideat in iis, quorum sibi cura demandata fuerit. Si quis a superioribus locorum in rebus ad universitates, publicas scholas aliave tradendae doctrinae instituta spectantibus aliquod gravaminis sibi illatum iudicet, ad s. Congregationem preces deferat „. Hinc com-

petentia Congregationis ad scholas ditionis pontificiae evasit restricta.

Post annum 1870 de facto iterum huius Congregationis competentia ad ampliores terminos extensa est, eaque curam habuit omnium universitatum orbis catholici.

Quod in constitutione nostra confirmatum est his verbis:

Est huic Sacrae Congregationi commissa moderatio studiorum, in quibus versari debeant maiora athenea, seu, quas vocant, Universitates, seu Facultates, quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis, quae a religiosae alicuius familiae sodalibus administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et, ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.

114. Modus procedendi. — Exponitur in Normis peculiaribus cap. VII, a. 11, his verbis:

Plenae Congregationi huius Officii competunt condendae novae studiorum Universitates ac Facultates omnes, quibus ius est academicos gradus conferendi: mutationes maioris momenti in iisdem iam institutis; cognitio quaestionum graviorum in ipsis occurrentium de patrimonii administratione, de magistri alicuius decurialis nominatione, da ratione studiorum, et de aliis huiusmodi; item quae necessario capienda consilia in commune videantur; postremo iudicium de excellenti aliquo viro academicis gradibus *ad honorem* decorando.

Congressus officium est ad plenam Congregationem deferenda parare; leviores controversias in aliqua studiorum Universitate vel Facultate subortas dirimere, ad normam praescriptorum superius.

Si qua velit in posterum studiorum Universitas aut Facultas nova constitui, opus est fieri per Breve. Nulla pariter in praesentem Facultatum et Universitatum statum gravior immutatio induci poterit nisi per Breve.

§ 13. — De Congregatione Lauretana.

115. Institutio. — Haec congregatio suum habet auctorem Innocentium XII, qui constitutione sua " Sacrosancta Redemptoris „ 9 aug. 1698 eidem commisit sanctuarium Lauretanum, quamvis cura celeberrimi istius sanctuarii iam inde a Sixto IV reservata esset exclusive S. Sedi; quod confirmatum postea fuit a pluribus Pontificibus, praesertim vero a Iulio II et a Paulo V const. " Divina disponente clementia „ 14 iul. 1620. Ea manet etiam post novam Constitutionem " Sapienti consilio „ et quidem tamquam specialis Congregatio, quemadmodum cavetur expresse in eadem constitutione, adiuncta tamen et unita Congregationi Concilii.

116. Constitutio. — Congregatio haec constabat hucusque pluribus cardinalibus, quibus tamquam praefectus praesidebat semper cardinalis a Secretis Status pro tempore, ex dispositione Gregorii XVI a. 1833. Habebat etiam proprium secretarium, qui generatim fuit subdatarius pro tempore, et non raro etiam subsecretarium. Subsecretarius, qui, si adest, munus quoque gerit custodis archivi, aliquando laicus etiam fuit. Erant quoque alii officiales, praesertim iuris peritus et architectus.

Nunc officiales omnes peculiares disparuere. Praefectus Congregationis non est amplius Secretarius Status sed ipse praefectus Congr. Concilii, cuius officiales explent munera etiam officialium congregationis Lauretanae.

117. Competentia. — Antiquitus, usque scilicet ad annum 1860, quo S. Sedi ablatum est exercitium iurisdictionis civilis in Picaeno, haec Congregatio non solum curam et administrationem Lauretanae domus eiusque bonorum creditam sibi habuit, sed etiam iurisdictionem obtinuit civilem et criminalem quoad causas et controversias

emergentes circa bona et iura ipsius sanctuarii, nec non super reos, qui aliquod crimen in ipsa S. Aede patrassent; quae tamen iurisdictio aliquam imminutionem passa fuerat ex const. Pii VII " Post diuturnas „ tertio kal. nov. 1800, qui imo eam penitus sustulit Motu proprio diei 6 iul. 1816. Leo tamen XII eam postea restituit Congregationi intra terminos constitutionis " Post diuturnas „. Hinc, ait Haine (loc. cit., n. 89): " Accedunt duodecim romanae curiae praelati, iique in quatuor tribunalia dividuntur, quorum singulis aequali numero ternario adscribuntur. His adduntur praesules Assessor, Secretarius, Auditor criminalis pro causis criminalibus, si quae forte crimina in Aede Sacra committantur „.

In praesenti competentia huius Congregationis, ratione circumstantiarum, valde imminuta est, nec eam determinat constitutio nostra.

118. Modus procedendi. — Quoad formam procedendi ex constitutione piana etiam circa res, quae spectant ad aedem Lauretanam, Congregatio Concilii sequi debet modum procedendi, quem servat pro aliis quoque causis.

§ 14. — De Congregatione reverendae fabricae S. Petri.

Vespignani Io., Compendium privilegiorum rev. fabricae S. Petri, Romae, 1674. — Cancellieri Fr., De Secretariis basilicae Vaticanae veteris et novae, Romae, 1786. — De Nicolais Nic., De vaticana basilica S. Petri ac de eiusdem privilegiis, Romae, 1817.

119. Institutio. — Iam Urbanus V const. " In caritatis „, 6 id. iun. 1370 statuerat, ut oblationes, quae fiebant die palmarum, feria quinta, sexta et sabbato maioris hebdomadae nec non die ipso dominicae resurrectionis, quas Pontifices praedecessores concesserant episcopo Portuensi, insumerentur in posterum in fabricam basilicae Principis Apostolorum. Postea, fatiscente antiqua basilica, Iulius II

splendidum concepit propositum novam aedificandi basilicam, eamque magnitudine et decore maxime conspicuam, iuxta delineatam descriptionem a Bramante factam, et sabbato in albis die 18 aprilis a. 1506 post missarum solemnia cum cardinalibus et magno numero praelatorum accessit ad locum, in quo eius fundamenta locanda erant. Ibi, precibus et ceremoniis adhibitis, primum lapidem benedictum et cruce signatum propriis manibus posuit Pontifex, quemadmodum ipse refert in bulla " Hoc die „, quam expleta ceremonia ad Henricum Angliae regem dedit. Cupiens autem idem Iulius incoeptum opus, ad quod ingentes requirebantur expensae, continuare, et quantum possibile erat ad finem perducere, alia sua constitutione " Liquet „ 11 ian. 1510 indulgentias et privilegia proposuit iis, qui eleemosynas in hunc finem contulissent. Ad alliciendos autem fideles ad hoc opus sanctissimum, quod magno honori futurum sperabat Principi Apostolorum et ecclesiae Christi, non solum indulgentias concessit, sed et fr. Franciscum Zeni Ord. FF. Minorum deputavit, qui in regionibus ultramontanis eleemosynas colligeret. Has indulgentias in eumdem finem concessit iterum et ampliavit Leo X Iulii successor const. sua " Postquam ad apostolatus „ 18 kal. oct. a. 1517. Post haec Clemens VII const. " Admonet nos „ prid. id. dec. a. 1523 instituit collegium sexaginta virorum, quorum munus esset huic fabricae providere. " Hoc autem Collegium, ait Benedictus XIV (const. " Quanta curarum „ 17 kal. dec. a. 1751), eo usque forsan permansit, donec opportunum fuit, ac aedificii moles ad designatam initio formam et amplitudinem perducta est. Verum, immutatis rerum circumstantiis, f. r. praedecessor noster Clemens Papa VIII (ut ab iis, qui romanae curiae res optime callebant, assertum invenimus (1)) in huiusmodi extincti collegii locum, pe-

(1) Moroni, loc. cit., dicit hoc deduci ex quadam bulla Clementis VIII, quae legitur in bullario vaticano, tom. III, p. 333.

culiarem congregationem fabricae S. Petri nuncupatam instituit „. A tempore autem Sixti V praefectus huius congregationis fuit cardinalis basilicae archipresbyter pro tempore. Benedictus XIV immutatam reliquit congregationem, sed constitutione sua supra citata ex ea generali congregatione, cui negotia contentiosa reliquit exclusive, particularem quamdam congregationem ex cardinali praefecto et tribus aliis cardinalibus compositam desumpsit, cui commisit oeconomica et administrativa negotia. Postea Pius IX a. 1863 negotia contentiosa a iurisdictione huius congregationis subtraxit. Hinc distinctio a Benedicto XIV introducta inter Congregationem generalem et particularem evanuit, et unica habita est Congregatio rev. fabricae, quam non tres tantum, sed plures cardinales constituunt. Constitutio nostra hanc Congregationem immutatam quoad sui exsistentiam et constitutionem reliquit.

120. Constitutio. Collegium institutum a Clemente VII constabat, ut diximus, sexaginta membris seu viris curialibus, ut loquitur Benedictus XIV (const. cit.), ex omnibus nationibus electis.

121. — Congregatio vero Clementis VIII constituebatur Cardinali praefecto et certis Curiae praelatis et officialibus, nimirum auditore generali causarum camerae apostolicae, thesaurario generali eiusdem camerae ac palatii apostolici praefecto et auditore decano causarum eiusdem palatii apostolici ac uno ex clericis praesidentibus dictae camerae et iudice ordinario ipsius fabricae ac eiusdem fabricae oeconomo generali, qui etiam erat istius congregationis secretarius, nec non ipsius fabricae advocato, quibus Pontifex in hac congregatione locum et suffragium perpetuo attribuit, nec non pluribus aliis cardinalibus et praelatis arbitrio Pontificis eligendis, quibus omnibus Pontifex locum etiam et suffragium dedit. Oeconomi autem praedicti ac iudicis deputatio sibi et successoribus suis reservavit.

Benedictus XIV, ut dixi, congregationem generalem immutatam reliquit; congregationem vero particularem a se institutam constare voluit cardinali praefecto ac tribus aliis cardinalibus e congregatione generali desumptis. Huic praeterea particulari congregationi secretarium dedit cum voto consultivo oeconomum generalem seu secretarium congregationis generalis, nec non iudicem ordinarium dictae fabricae, cui etiam ius contulit consultivum votum ferendi.

A tempore autem Pii IX solis cardinalibus constat, quibus additur oeconomus secretarius et plures officiales. Adiunctam praeterea nunc habet fabrica sectionem administrativam pro rationibus reddendis expensarum, quae fiunt; sectionem legalem ad illuminandos cardinales circa quaestiones legales, quae exoriuntur relate ad administrationem bonorum et exsecutionem piarum voluntatum; sectionem technicam pro exsecutione praesertim eorum, quae necessaria sunt conservationi et ornatui basilicae; plures architectos, et tandem distinctam et celebrem sectionem, cui titulus " Studio del mosaico „ a Sixto V institutam.

122. Competentia. — Collegio sexaginta virorum curialium, quod instituit, Clemens VII non solum dedit exemptionem a cuiusque iurisdictione, sed voluit etiam ut eligeret e suo gremio officiales ad tempus, qui servarent claves capsarum, in quibus deponerentur eleemosynae a fidelibus, quique possent pacta, conventiones et tractatus cum debitoribus fabricae transigere; contractus factos per officiales minores approbare vel infirmare, deputare collectores ad eleemosynas; subhastare bona debitorum; causas ad fabricam spectantes, etiam tempore Sedis vacantis, cognoscere et definire; debitoribus praesentibus vel absentibus poenas infligere, appellationes decidere. His facultatibus, quas concessit prima sua costitutione " Admonet nos „ supra citata, alias addidit nova constitutione: " Dudum admonente „ kal. iun. a. 1525, ut scilicet colle-

gium posset componere lites super male ablatis, incertis vel per usurariam artem quaesitis ac super aliis huiusmodi ibidem determinatis, nec non dare confessarios iis, qui eleemosynas fabricae dabant, cum facultate confessariis ipsis collata absolvendi vota, dispensandi, etc.

Haec privilegia et facultates ab aliis posterioribus Pontificibus confirmatae sunt, et non raro etiam ampliatae (1).

Competentia autem subsecutae Congregationis fabricae sic explicatur a De Luca (loc. cit., disc. XX, n. 10 sqq.): " Circa plura itaque huius Congregationis eiusque officialium munus versatur: Primo nempe circa dictum munus exsecutoris et curatoris dispositionum, quae ad pias causas factae sint, ut suum sortiantur effectum, fructus decursos sibi applicando, ut istud fabricae opus, loco illorum operum vel suffragiorum, quae fieri debebant, ex ecclesiastici thesauri plena potestate apostolica succedat. — Secundo, ut exigat sibique applicet pias dispositiones incertas sive ad incerta pia opera factas. — Tertio ut pariter exigat, sibique applicet illa legata, quae facta sint pro certo opere individuo, pro quo bona relicta non sufficiant, ne alias cum indebito heredis lucro apud eum bona remaneant. — Et quarto, quod ubi ecclesiae seu loca aut personae, quarum favore dispositio facta sit, ex instituto incapaces ex-

---

(1) Cfr. *Const.* Pauli III " Nuper postquam „ *25 ian. 1540;* " Dum ad universas „ *3 febr. 1542;* Iulii III " Accepimus nos „ *secundo kal. aug. 1551;* Pii IV " Etsi per diversos „ *decimoquinto kal. ian. 1562;* Pii V " Ad Romani „ *10 mart. 1568;* " Decet nos „ *undecimo kal. ian. 1569;* " Exigit incumbentis „ *undecimo kal. ian. 1569;* " Etsi de singulis „ *prid. kal. ian. 1569;* " Exigit incumbentis „ *tertio id. sept. 1570;* " Ex debito „ *kal. febr. 1571;* " Etsi omnium „ *undecimo kal. ian. 1569;* Alexandri VII " Decet Romanum „ *16 nov. 1660;* Innoc. XII " Cum sicut „ *31 iul. 1691;* Alexander VII praeterea aliam edidit constitutionem " Superni dispositione „ *30 aug. 1655,* qua facultates deputatorum fabricae moderatur, mandans ne legata pauperibus in genere relicta sub nomine incertorum legatorum tribuantur fabricae.

sistant, ut ex. gr. sunt Capuccini et Minores observantes ac etiam Iesuitae quarti voti eorumque domus professae et similes, tunc fabrica totam dispositionem sibi ipsi applicet sive cum quibusdam compositionibus partem accipiat et partem remittat „. Altera pars muneris istius Congregationis in eo est, ut idem De Luca (loc. cit., n. 24) loquitur, ut scilicet ea agat " de oeconomicis pro fabricae gubernio et administratione ac meliori directione, dispungendo etiam computa et rationes ministrorum et operariorum „.

Benedictus XIV res immutatas reliquit, dividendo tamen munera haec diversa, ita ut Congregationi generali relinqueret cognitionem causarum contentiosarum, speciali vero demandaret curam administrationis oeconomicae.

Pius IX abolevit in omnibus etiam pro ipsa ditione pontificia tribunal proprium fabricae. Quare post Pium IX rev. Fabricae competentia constricta fuit ad ea, quae respiciebant administrationem bonorum et conservationem basilicae, nec non ad plura, quae respiciebant legata pia et onera missarum. Circa haec Fabrica habuit facultatem reducendi, reductione sive proprie sive improprie dicta (1), onera missarum, differendi celebrationem missarum manualium ultra tempus a iure concessum, admittendi fideles gravatos oneribus piorum legatorum ad compositionem circa praeteritas omissiones, has ipsas facultates episcopis concedendi, nec non redemptionem piorum onerum examinandi et approbandi.

Ex constitutione vero nostra iurisdictio seu competentia istius congregationis ita restricta est, ut in posterum unice sibi curandam habeat rem familiarem basilicae

---

(1) Reductio propria tunc habetur, quum minuitur ipse numerus missarum celebrandarum, supplendo alias de thesauro ecclesiae; reductio impropria tunc, quum iustis de causis derogatur quibusdam conditionibus a testatore impositis quoad celebrationem missarum circa horam celebrationis, altare, etc.

Principis Apostolorum, servatis ad unguem in hac parte normis a Benedicto XIV statutis const. " Quanta curarum „, scilicet pro ea parte, quae respicit congregationem particularem in ea constitutam.

123. Modus procedendi. — Modum procedendi huius Congregationis quoad causas contentiosas, quae antiquitus eidem competebant, exponit De Luca (loc. cit., n. 25 sqq.). Forma vero procedendi quoad aliam partem, scilicet negotiorum, quae ad curandam administrationem basilicae spectant, desumi facile potest ex iis, quae Benedictus XIV in constitutione citata habet, et sunt sequentia: " Alterius vero generis negotia, quae spectant ad oeconomicum ipsius Fabricae regimen, visa sunt providentiae nostrae curas requirere. Quum enim satis appareat huiusmodi res in Congregatione generali, commode ac diligenter, ut par est, tractari non posse; ac propterea aliquo abhinc tempore usus inoleverit ut vel a cardinali praefecto vel ab oeconomo praedictae fabricae cum Pontifice immediate ageretur de expensis etiam maioris momenti et ingentes pecuniarum summas requirentibus, quae pro ipsius basilicae necessitatibus aut ornamentis faciendae occurrerent; contra quam antiquitus fieri consueverat, dum graviora huiusmodi negotia, antequam ad Pontificem deferrentur, ab ipso prius cardinali praefecto una cum aliis cardinalibus atque ministris ex his, qui in generali praedicta congregatione locum habent, diligenter ac mature discutiebantur; antiquiorem huiusmodi consuetudinem in posterum observari volumus, idque non solum oeconomicis ipsius fabricae rationibus proficuum, verum etiam ad reprimendas magna ex parte censuras et oblocutiones, quibus plerumque notari contigit eos sumptus, qui pro vaticani templi conservatione aut ornatu fiunt, opportunum fore confidimus... Omnia vero ad Romanum pro tempore Pontificem sive a cardinali praefecto sive a secretario referri debebunt, non sine indicatione differentiae ac numeri suf-

fragiorum atque etiam rationum, quas unusquisque ad confirmandam sententiam suam attulit; ut is nimirum, omnibus cognitis atque perpensis, resolutionem in congregatione captam, nisi aliter ipsi videatur, approbare et confirmare eiusque exsecutionis incessanter promovendae ac provide dirigendae curam uni vel alteri ex quatuor cardinalibus, sive ex duobus praelatis dictam peculiarem Congregationem constituentibus pro suo arbitrio demandare valeat. Huic ipsi congregationi particulari rationes et computa generalia fabricae eorumque summaria singulis quatuor mensibus exhibenda statuimus et mandamus, ut eadem Congregatio, habito prae oculis universo statu oeconomico ipsius fabricae, de propositis sumptibus opportuna consilia capere possit. Dumque cardinales et praelati ad consultandum convenient, quod quatuor saltem vicibus in anno fieri debebit, ad aulae limen adstare volumus ipsius fabricae ratiocinatorem et architectos atque pictorem operibus tesselatis praepositum, nec non ipsius fabricae promptuarii custodem, vulgo *fattor generale* nuncupatum, ut praesto sint ad omnia, quae ipsa congregatio ab iis requirenda vel demandanda iudicabit „.

II. — Tribunalia.

§ 1. — De sacra poenitentiaria.

Gomez Lud., Tract. de potestate Poenitentiariae, Venet., 1557. — Leoni Marc Paul., Praxis ad litteras et bullas maioris Poenitentiarii et officii S. Poenitentiariae in quatuor partes distributa, in quibus declarantur singularum formularum clausulae et traditur modus praefatas litteras exequendi, Romae, 1644. — Corradus Phyrrus, Praxis dispensationum apostolicarum ex solidissimo Romanae curiae stylo inconcusse servato excerpta, praxim quoque officii S. Poenitentiariae Urbis iuxta illius ordinationem novi status complectens, Venetiis, 1669. — Syrus P., Dilucidatio facultatum minorum poenitentiariorum basilicarum Urbis et praxis executionum ad litteras et rescripta s. poenitentiariae, etc., Romae, 1699. — Petra Vinc., Tractatus de poenitentiaria apostolica, Romae, 1717. — Gibbings, The taxe of the apostolic penitentiary, Dublin, 1872. — Dupin de St-André, Taxe de la Pénitencerie apostolique d'après l'édition publiée à Paris en 1620, Paris, 1879. — Denifle H., Die älteste Taxrolle d. apostol. Pönitentiarie v. Jahre 1338, im Arch. f. Litt. u Kgesch. d. MA. IV 201 ff. 1888. — Eubel K., Der Registerband d. Kardinal-Grosspönitentiars Bentevenga, im A. f. k. KR. LXIV, 3 ff. 1890. — Lea H., A formulary of the papal Penitenziary in the thirtheent century, 1892. — Batiffol P., Le prêtres pénitenciers romains au 5e siècle. Compte-rendu du Congrès internat. des catholiques à Bruxelles, II, 277 ss., 1894. — Lecacheux Paul, Un formulaire de la pénitencerie apostolique au temps du Cardinal Albornoz (1357-8), in Mélanges arch. hist. Ecole franç., Rome, XVIII, 37 ss., 1898. — Lang A., Beiträge zur Geschichte der apostol. Pönitentiarie, in Mitt. d. Instit. f. Oesterr. Geschichtsf. VII Ergänzungsheft, 1904. — Haskins, The sources for the history of the papal Penitentiary, in the american journal of theol. LIX, 422 ss., 1905. — Tarani a Spalannis, Manuale theorico-practicum pro minoribus poenitentiariis, Romae, 1906. — Göller Emil., Die päpstliche Pönitentiarie von ihrem Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung durch Pius V, Rom. 1907. — Chouet Pierre, La sacrée Pénitencerie Apostolique, Lyon, 1904.

124. Institutio. — " Quamvis apud antiquitatis professores, ait De Luca (loc. cit., disc. XII), cum consueta opinionum varietate, multum obscura videatur huius of-

ficii introductio; nimium tamen probabile videtur. ut ea quoque fuerit in ecclesia primitiva sub persecutionibus infidelium; quum enim ex eis resultarent in iis, qui minus constantes essent, apostasiae aliave gravia peccata, quorum absolutio in resipiscentibus solius pontificiae potestatis erat, Pontifex autem per seipsum hoc absolutionis munus cum iniunctione poenitentiae salutaris ob alias occupationes solus explicare non posset; hinc proinde ministrum seu adiutorem in hoc quoque munere assumpsisse probabile est, ita istum vicarium in spiritualibus deputando eo modo, quo in temporalibus archidiaconum etiam circa ea tempora deputavit „. Magis sobrie quoad hoc loquitur Lega (loc. cit., II, 263, in nota) dicens: " Primordia officii poenitentiariae sunt repetenda a Cornelio Papa a. 254, qui constituit poenitentiarios pro *lapsis* absolvendis... Marcellus Papa a. 304, saeviente persecutione Diocletianea, titulos in Urbe constituit quasi dioeceses propter baptismum et poenitentiam. In constituendis in hunc scopum urbanis paroeciis Romam omnium prima imitata est Alexandria. Sed praecipue in Oriente iam a seculo V constitutus fuit penes omnes ecclesias episcopales presbyter poenitentiarius. De poenitentiario Constantinopoli constituto sub ea aetate celebria extant documenta. In Occidente episcopi per se ipsos tantum munus exsolvere, ut plurimum, soliti fuerunt; at passim inveniuntur archipresbyteri constituti ad munus poenitentiarii, sed serius constituuntur poenitentiarii; donec Conc. Lateranense a. 1215 iussit apud ecclesias cathedrales constituendum esse poenitentiarium. In ecclesia romana nonnulli eruditi asserunt, poenitentiarium e cardinalibus fuisse electum iam a Benedicto II († 685) [Cfr. Plettemberg, Notitia cur. rom.], sed hoc haud certo constat; ast ante Gregorium X († 1276) poenitentiarium cardinalitia dignitate fuisse auctum eruditi probant, et ipse Pontifex in suis legibus, quibus conclave ordinavit, etiam de cardinali poenitentiario plura decrevit [Cfr. Gomez, in pr. ad reg. Cancell.]. Ave-

nione Benedictus XII († 1342) constitutionem edidit de poenitentiariae officio " In agro dominico universali ecclesiae operarii „ ..... Hinc poenitentiarius seu archipresbyter antiquitus erat Papae adiutor et assessor pro negotiis fori poenitentialis et appositis litteris scribendis; pro aliis actibus exscribendis aderat bibliothecarius seu scriniarius „.

Ante Gregorium X in prima medietate saeculi 13i inter poenitentiarios invenimus etiam S. Raymundum de Peñafort celebrem compilatorem Gregorianae compilationis iuris canonici.

Cardinalis, cui cura apostolicae poenitentiariae demandabatur, iam seculo XIV ineunte a Clemente V nomine maioris poenitentiarii decoratur. Cfr. c. 2, de elect., etc. (I, 3) in Clem. Et iam tunc temporis officium poenitentiariae constitutum exstabat, deputatis praeter maiorem poenitentiarium aliis quoque poenitentiariis, ut ex citato capite secundo de elect. in Clementinis aperte eruitur.

Officium poenitentiariae apostolicae usque in praesens immutatum manet.

125. Constitutio. — Constituitur autem hoc tribunal in primis cardinali poenitentiario maiore, qui ab ipso Romano Pontifice eligitur per Breve. Is ex Benedicto XIV const. " In apostolicae „ 13 apr. 1744, qui secutus est in hoc Pium V const. " In omnibus „ 18 maii 1569, debet esse ex ordine cardinalium presbyterorum, magister in theologia seu decretorum doctor. Exercere autem debet suum munus per seipsum. Quod si ex causa legitima a Rom. Pontifice admissa absens fuerit seu impeditus, debet sibi subrogare alium cardinalem eisdem qualitatibus instructum, qui pro-poenitentiarium agens munus per seipsum adimpleat, litteras expediens suo proprio nomine, non autem nomine poenitentiarii subrogati.

Cardinali maiori poenitentiario adiungitur in primis Regens, qui, quemadmodum alii poenitentiariae officiales,

ab ipso maiori poenitentiario delectus et Romano Pontifici praesentatus, si eius approbationem consequatur, litteris maioris poenitentiarii ad suum officium nominatur et admittitur. Post ipsum veniunt theologus, cuius munus " uni ex presbyteris Soc. Iesu diuturna nec interrupta successione commendari consuevit „, ut ait Benedictus XIV const. " In Apostolicae „ § 15; datarius, canonista, corrector, sigillator praeter procuratores seu secretarios tres et scriptores ordinarios tres. Nunc post constitutionem nostram officiales hi recensentur in indice officiali et quidem hoc ordine: datarius, corrector, sigillator et canonista praeter secretarium ac substitutum nec non scriptores duos, archivii custodem et duos registratores.

Signatura, quae dicitur, constat cardinali maiori poenitentiario, regente, theologo, datario, correctore, sigillatore, canonista. Signaturae intervenit etiam secretarius, sed non habet ius ad votum.

126. — Ad S. Poenitentiariam referuntur etiam aliquo modo minores poenitentiarii in Urbe et in Aede Lauretana. Quoad hos nota eos constitui in tribus Urbis basilicis seu in basilicis Lateranensi, Vaticana et Liberiana. Poenitentiarii S. Ioannis in Laterano ex FF. Minoribus, S. Petri prius ex Patribus Soc. Iesu, post extinctionem Societatis a Clemente XIV decretam ex FF. Minoribus conventualibus, S. Mariae Maioris ex PP. Praedicatoribus, Lauretani prius ex Patribus Soc. Iesu, nunc vero ex Min. Conventualibus desumuntur. Hi omnes a Cardinali maiore poenitentiario et a Signatura prius examinati et approbati constituuntur ab eodem cardinali poenitentiario. Const. Ben. XIV " In apostolicae „ 13 apr. 1744.

Hi ab officio dimitti, seu ab eiusdem exercitio discedere non possunt sine eiusdem maioris Poenitentiarii licentia. Constit. nuper cit. Ben. XIV.

Hos Poenitentiarios minores idoneos esse ad confessiones excipiendas omnium omnino christifidelium, regu-

larium quoque absque ulla suorum superiorum licentia, sententia fuit plurium et gravissimorum auctorum, quos Rotarius, Theol. mor. Regular., tom. 3, lib. I, cap. I, punct. 2, n. 18, collegit; eamque sententiam pluribus confirmavit P. Sirus, qui in Lateranensi Basilica plures annos Poenitentiarii munus obivit, in suo Tractatu *de facultatibus minorum Poenitentiariorum Basilicarum Urbis,* part. I, cap. I, dub. 6, prout testatur ipse Benedictus XIV. Const. " Inter praeteritos „, 3 dec. 1749. Imo in hanc eamdem sententiam, quae palam a piis regularibus in praxim deducebatur, ut ipse Pontifex in eadem constitutione testatur, ipse Benedictus concessit; quum enim, ineunte anno sancto, inter facultates, quas Poenitentiariis Basilicarum concessit, hanc etiam expressit (Constit. " Convocatis „, 25 nov. 1749), statim adnotare curavit, se idipsum fecisse " ad unicum dumtaxat finem, ut tutiores semper conscientiae redderentur „, et non ius quoddam novum condendo sed " *iura iuribus addendo* „. Quare haec est sententia in praxi tutissima. Const. cit., 3 dec. 1749.

Hi poenitentiarii plures etiam alias habent facultates circa absolutionem a casibus reservatis, dispensandi in votis, etc.; quarum facultatum ambitus generatim a prudentia Cardinalis maioris Poenitentiarii dependet. Const. cit, Ben. XIV, 13 apr. 1744.

127. Competentia. — Iam ab antiquis temporibus S. Poenitentiaria multis ditata est facultatibus et gratiis, quae prius ad forum internum, praecipue saltem, spectabant, postea auctae sunt aliis facultatibus, quae ad externum quoque forum pertinebant. Cfr. inter alia const. Sixti IV " Quoniam nonnulli „ *9 maii 1484.* Has facultates Poenitentiaria obtinebat tamquam ordinarias. Quod quidem accidit, quia " tam praeclari tamque salutaris instituti ratio Romanis pro tempore Pontificibus magnopere cordi fuit; tantamque ex huius officii ministerio in ecclesiae administratione utilitatem experti sunt, ut olim eidem officio

non modo causas ad interius poenitentiae forum, sed alias etiam complures ad gratiam et iustitiam externi fori pertinentes, expediendas committere nom dubitaverint „, prout loquitur Benedictus XIV const. " Pastor bonus „ 13 aprilis 1744.

Postea tantus causarum cumulus, earum praesertim, quae ad externum forum spectabant, visus est nonnullis Pontificibus, praesertim Pio IV, S. Poenitentiariam e sua provincia immerito et maiori cum nocumento quam utilitate distrahere.

Hinc Summus Pontifex consilium cepit reducendi facultates S. Poenitentiariae, imo totum Poenitentiariae institutum et quoad tribunalis compositionem et quoad eius competentiam reformare. Quod ipse praestare et ad exitum perducere non potuit, hoc perfecit successor eius Pius V. Is postquam const. sua " In omnibus „, quam supra citavi, ordinasset tribunal S. Poenitentiariae quoad eius constitutionem, eadem die alia constitutione " Ut bonus paterfamilias „ 18 maii 1569 eius reformationem induxit quoad tribunalis potestatem et competentiam. Hanc autem, postquam Poenitentiariae potestatem omnem ordinariam et delegatam omniaque privilegia facultates et indulta ademerit, " solis rursus facultatibus, quae poenitentialis muneris maxime propriae sunt et ad egentium fidelium remedium accomodatae „ communivit. Summa autem facultatum, quas Pius V Poenitentiario maiori concessit, ad haec reduci potest. Voluit scilicet ut omnes et singulos fideles, ecclesiasticos, regulares et laicos absolvere posset vel absolvi mandare in omnibus casibus etiam Rom. Pontifici aut Sedi Apostolicae reservatis, tam occultis quam publicis, nec non ab omnibus censuris et poenis ecclesiasticis quorumlibet peccatorum, excessuum aut delictorum causa latis; ac etiam dispensare aut dispensari mandare cum quibuslibet super quacumque inregularitate, inhabilitate, defectu et infamia, praeterquam ex crimine haeresis, homicidio voluntario, contracta scienter simonia et publicis

criminibus, super quibus Romanum Pontificem prius ab ipso poenitentiario consulendum statuit Pontifex. Hae omnes facultates sunt exclusive pro foro interno. Pro eodem foro tribuit ei Pontifex facultatem habilitandi inhabiles ad exercitium ordinum susceptorum vel ad consecutionem maiorum nec non ad retinendas dignitates quascumque ac beneficia et officia ecclesiastica obtenta canonice collata; pariter facultate instruitur a Pontifice dispensandi in contractis matrimoniis, ab impedimentis occultis, exceptis primo consanguinitatis vel affinitatis aut secundo in linea inaequali consanguinitatis gradu; commutandi vota quaecumque exceptis dumtaxat votis sepulcri dominici visitationis ac liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli, castitatis et religionis; absolvendi super male ablatis vel retentis incertis; declarandi dubia, quae respiciunt materiam peccatorum, aut forum poenitentiale alias quomodolibet concernunt. Admonet tamen Pontifex nolle se poenitentiario suo facultatem concedere in ullis casibus publicis absolvendi reges aut alios ius imperii obtinentes nec non dominia, respublicas, item episcopos et alios superiores praelatos. Quoad cardinales excipit etiam quosdam casus occultos sese referentes ad electionem Rom. Pontificis.

Progressu temporis quum iam facultates a Pio V determinatae et a successoribus Romanis Pontificibus ferme singulis fuerint ampliatae aut immutatae, saepe etiam vivae tantum vocis oraculo, factum est ut ad obscuritatem exinde ortam vitandam Innocentius XII constitutione " Rom. Pontifex „ III non. sept. a. 1682 earumdem facultatum summam confecerit et publicaverit. In hac tamen constitutione quaedam facultatum capita distulit Pontifex ordinare, quae ne a successoribus quidem Pontificibus per plures annos ordinata fuerunt; quaedam, quae constituta fuerant, dubiis ansam dederunt; praeterea nova decreta successorum Pontificum quoad Poenitentiariae facultates accesserunt. His factum est ut Benedictus XIV quod iam, quum in

minoribus esset, desideraverat, illud compleret tandem constitutione sua " Pastor bonus „ 13 apr. 1744, singulas enumerans facultates, quae S. Poenitentiariae a Pontifice demandabantur. Quae facultates, etsi in pluribus non discrepent a facultatibus a Pio V datis, in multis tamen etiam eas superant et Poenitentiariae potestatem quoad nonnulla ad forum quoque externum admittunt, et in aliis extendunt. Tandem hucusque, etsi ordinarie Poenitentiaria dispensaverit tantum in occultis impedimentis matrimonialibus pro foro conscientiae, quum dispensatio pro foro externo commissa esset Datariae, extraordinarie tamen, quum nempe de pauperibus vel fere pauperibus ageretur, dispensabat etiam vice Datariae pro foro externo in publicis eorum impedimentis. Circa hanc paupertatis qualitatem disputatum diu est inter Datariam et Poenitentiariam, et quum Dataria in *Praxs apostolicarum dispensationum super impedimentis matrimonialibus in Dataria Apostolica*, n. 206, quae tamen sine ulla Pontificis approbatione prodiit, fundamentum ad exsistentiam paupertatis aestimandam nimis restrinxisset, Poenitentiaria episcopis nonnullis petentibus, an eae novae normae a Dataria inductae pro diiudicanda paupertate in ordine ad matrimoniales dispensationes valerent etiam pro dispensationibus petendis et concedendis a Poenitentiaria, haec die 23 iul. 1902 respondit: " In praxi S. Poenitentiariae nihil esse innovatum „. Huic responsioni alia subsecuta est diei 20 ian. 1904 pressius determinans et explicans eiusdem Poenitentiariae praxim quoad hoc.

Nota autem facultates maioris poenitentiarii, quae spectant ad forum internum, mortuo Papa, perdurare (c. 2 de elect. [I, 3] in Clem.); quae ad forum externum spectabant, conquievisse, exceptis facultatibus, quae regulares praesertim apostatas et fugitivos respiciebant, nec non excepta facultate deputandi confessarios extra ordinem pro monialibus. Constitut. cit. Ben. XIV " Pastor bonus „.

128. — Deveniamus tandem ad constitutionem nostram, qua iurisdictio Poenitentiariae revocata est ad pristinos et nativos terminos, seu constricta ad ea, quae internum forum respiciunt. Loquens enim piana constitutio de Sacra Poenitentiaria, haec habet:

Huius sacris iudicii seu tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea dumtaxat, quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt. Itaque, externi fori dispensationibus circa matrimonium ad Congregationem de disciplina Sacramentorum remissis, hoc tribunal pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit praeterea quaestiones conscientiae, easque dirimit.

129. Modus procedendi. — In Signatura Poenitentiariae, quae alternis hebdomadis die martis ordinarie habetur, intersunt, maiori ipso poenitentiario praesidente, ii officiales, quos supra diximus. In ea, referente unoquoque petitiones sibi demandatas et casibus praesertim dubiis omnium consultatione discussis ac examinatis, omnia maturo iudicio a cardinali poenitentiario deciduntur et congruum rescriptum a regente propria manu breviter unicuique petitioni subiicitur, latius deinde a procuratoribus explanandum. Const. Ben. XIV " In apostolicae „, 13 apr. 1744. Resolutio igitur definitiva a maiori poenitentiario sumitur; alii officiales votum habent tantummodo consultivum. Si quando autem de re agitur, circa quam cardinalis poenitentiarius putat destitui se facultatibus necessariis, ad Romanum Pontificem recurrit.

130. — Dispensationes autem aliaeque gratiae generatim a Poenitentiaria in forma commissoria conceduntur et sub quibusdam clausulis, quarum praecipuas iuverit hic indicare.

Iniuncta ei gravi poenitentia. Significat haec clausula iniungendam quidem esse oratori gravem poeniten-

tiam, ratione tamen habita ipsius virium; quare in ea imponenda habenda est ratio conditionis, aetatis, infirmitatis, officii, sexus, etc., eorum, quibus poena iniungenda est, nec excedendi sunt fines, sive severitatis, sive humanitatis, in praefinienda qualitate, gravitate, duratione poenitentiae. Ita declaravit eadem S. Poenitentiaria 8 aprilis 1890.

Si ita est, idest, si est vera causa finalis, sed ad hoc standum est attestationi poenitentis, nec ei deferendum est iuramentum de veritate causae allegatae.

Audita prius sacramentali confessione, vel *in actu sacramentalis confessionis tantum;* ex his clausulis necessaria fit sacramentalis confessio facienda ipsi exsecutori, nec nocet absolutio sacrilege suscepta, ut S. Poenitentiaria pluries declaravit, imo si confessarius poenitentem indispositum ex confessione cognoscat, et urgens aliqua necessitas sit dispensationem concedendi, potest etiam absolutionem suspendere et dispensationem concedere. S. Poenit. 19 maii 1834.

Doctori in sacra theologia aut iure canonico. Doctores intelliguntur veri doctores, qui laurea sunt praediti. Haec clausula, quae antiquitus frequenter adhibebatur, nunc a stylo Poenitentiariae fere recessit.

Confessario approbato. Ita nunc generatim inscribuntur rescripta Poenitentiariae. Porro nota confessarium intelligi illum, cui poenitens alias confessionem facere potuisset (Ben. XIV. Inst. eccl. 87, n. 31); ideoque mulier ex. gr. uti debet confessario approbato ad audiendas confessiones mulierum eo loci, ubi eum adit. (D'Ann. I, 242, 45); monialis approbato ad confessiones monialium. (Bouix, De curia rom., cap. 13, § 5). Electio autem confessarii pertinet ad illum, qui rescriptum obtinet, quique semel electum variare etiam potest, si displicet. D'Ann., l. c.

Dummodo res non fuerit ad forum contentiosum deducta. Deductum ad forum contentiosum aliquid dicitur, quum iudex per narrationem negotii causam audire coe-

perit (l. 1, de litis contest. C. [III, 9]); non autem quum probatum fuerit per unum testem, ut nonnulli asserunt, vel quum fuerit intimatum parti, ut volunt alii. D'Ann., loc. cit. (48).

Dummodo res sit occulta. Hoc ita intelligendum est, quod id, de quo agitur, sit occultum formaliter tantum saltem errore facti, quamvis materialiter notum sit (Thesaurus, de poenis, p. I, c. 21; Ben. XIV, Inst. cit., n. 48); ut, si quis irregularis evaserit ex homicidio, et vel occisus mortuus reputetur ex infortunio vel ex morbo (occultum materialiter) vel existimetur, eum occisum fuisse ex iusta defensione (occultum formaliter errore facti), adhuc res est occulta pro dispensatione; imo, secundum quosdam, etiam tunc res ad hunc finem occulta dici potest, si cognoscatur eum ex odio occisum fuisse, ignotum vero sit, homicidam esse irregularem (occultum formaliter errore iuris). Laymann, Th. mor., lib. I, tr. 5, c. 9, n. 4; cfr. tamen D'Annibale, I, 242, 54.

Occultum etiam est delictum, quod olim fuit publicum, sed iamdiu a longo tempore commissum e memoria communitatis excidit. Ben. XIV, Instit., LXXXVII. n. 47; D'Ann., I, 242.

Occultum etiam habetur delictum eius, qui in iudicio, etsi iniusto, absolutus est. Sanchez, de matrim., lib. II, disp. 37, n. 12; lib. VIII, disp. 34, n. 57; Suarez, de censuris, disp. XLI, sect. 2, n. 6.

131. — S. Poenitentiaria concedit aliquando ordinariis facultates dispensandi pro foro interno super occultis quibusdam impedimentis, cum facultate subdelegandi eas parochis. Hac occasione Archiepiscopus Coloniensis exposuit, in sua dioecesi plures haberi districtus, quibus praepositi sunt sacerdotes iuribus quasi parochialibus praediti, quos in parochias erigere ipse non posset, quia ibi ad huiusmodi erectionem exigitur interventus Regii Gubernii, quod eam non permitteret, quibus autem praepo-

nere deberet sacerdotes diversos a parochis ob nimiam parochiae amplitudinem. Quaerebat igitur:

1° An sub nomine parochorum in citatis litteris S. Poenitentiariae veniant rectores sic dicti, qui in districtu aliquo curam animarum exercent, quia parochi veri nominis dici possint;

2° An sub eodem nomine comprehendantur etiam ii sacerdotes, qui, durante vacatione parochiae, vel occasione infirmitatis vel absentiae parochi, tamquam administratores parochiae deputantur „.

Et S. Poenitentiaria 17 iul. 1901, respondit: " Affirmative ad utrumque „.

132. — Maxime proprium in forma procedendi Poenitentiariae illud est, quod Benedictus XIV recenset et statuit in constitutione sua citata " In apostolicae „ § 22. " Secreto potissimum et gratis, quae laus est maxime propria huius officii, negotia quaecumque in eo expedienda esse omnes et singuli praedicti officiales intelligant. Itaque super rigorosa utriusque capitis observantia sancte iurabunt iuxta praescriptam formulam, quae est: — Ego N. regens ab hac hora in antea ero fidelis et obediens B. Petro et Domino nostro Papae eiusque successoribus canonice intrantibus; officium meum fideliter exercebo et gratis, eiusque ratione nihil ab aliquibus etiam sponte oblatum vel donatum accipiam, praeterquam salarium mihi constitutum; secreta S. Poenitentiariae et occultos casus ac personas, de quibus in ea tractabitur, numquam cuiquam extra officium revelabo; et ita iuro ad sacrosancta Dei evangelia. — Quod iuramentum unusquisque, quum primum ad suum munus exercendum admittetur, in manibus maioris poenitentiarii praestare debebit; atque insuper omnes singulis annis, in prima cuiusque anni signatura, iterabunt. Qui autem iuratum secretum violaverint, non levius puniantur, quam presbyteri confessiones peccatorum revelantes. Qui vero contra alteram iuramenti partem ali-

quid, vel minimum, a partibus aut aliis sive celerioris expeditionis sive extraordinarii laboris in procurando aut scribendo aut recognoscendo aut examinando, sive alio quocumque titulo aut colore, acceperint, officio suo privati ipso facto censeantur et excommunicationis sententia innodati, cuius nequeant absolutionem ab alio quam a Romano Pontifice, extra mortis articulum, obtinere. At si huiusmodi crimen admisisse convicti fuerint, praeter censuras et poenas contra talia admittentes superius aut alias quomodocumque propositas, non solum officiorum suorum privationem incurrant sed ad futura etiam inhabiles et infames reputentur, prout hos illos ipso facto inhabiles et infames harum etiam tenore declaramus „.

133. — Iuverit etiam annotare sequentes abbreviationes, quibus utitur Poenitentiaria in suis responsionibus. *abs* - absolutio; *alr* - aliter; *als* - alias; *ao* - anno; *aplica* - apostolica; *appbatis* - approbatis; *aucte* - auctoritate; *ben* - benedictionem; *cen* - censuris; *circumpeoni* - circumspectioni; *confeone* - confessione; *coini* - communioni; *consciae* - conscientiae; *constibus* - constitutionibus; *discreoni* - discretioni; *dudo* - dummodo; *eccle* - ecclesiae; *exit* - exsistit; *epus* - episcopus; *excoe* - excommunicatione; *gnali* - generali; *humoi* - huiusmodi; *infraptum* - infrascriptum; *igr* - igitur; *innoti* - innodati; *irregulte* - irregularitate; *ltima* - legitima; *lrae* - litterae; *matrium* - matrimonium; *mir* - misericorditer; *Ordio* - Ordinario; *ordibus* - ordinationibus; *Pp* - Papa; *poe* - posse; *poenia* - poenitentia; *ptur* - praefertur; *qtnus* - quatenus; *saluri* - salutari; *sartum* - sacramentum; *sen* - sententiis; *spealr* - specialiter; *ten* - tenore; *thia* vei *theolia* - theologia; *tm* - tantum; *tn* - tamen; etc.

Si quis recurrere debet ad S. Poenitentiariam, epistolam mittit ad Cardinalem maiorem Poenitentiarium. Non est necesse litteras latino sermone conscribere, imo ad claritatem melius est ut unusquisque eo sermone utatur, quem melius callet.

Etiam ipse confessarius huiusmodi litteras scribere potest, sed nomen personae non debet exprimere; debet tamen clare scribere locum et nomen illius, ad quem a S. Poenitentiaria responsum dirigendum est.

134. — Quoad modum procedendi S. Poenitentiariae haec in nova constitutione caventur:

In officii parte quam retinet, hoc sacrum Tribunal se geret ad normas praesertim Const. *In Apostolicae*, editae die XIII mensis aprilis a. MDCCXLIV a Benedicto XIV, salvis immutationibus legitimo usu posterius inductis, quae erunt scripto redigendae et a Cardinali Poenitentiario subiiciendae approbationi Pontificis; firmisque praescriptis a Const. *Sapienti consilio* et ab hac lege, in omnibus quae hoc sacrum Tribunal spectent.

Iuxta memoratae Constitutionis Benedicti XIV praescripta, *omnia secreto et gratis* in hoc sacro Tribunali expedientur.

135. — Ea, quae de Poenitentiaria hucusque disputavimus, concludere placet verbis, quibus utitur Grimaldi (Les Congrégations romaines, ch. 24): " Le sceau de la Sacrée Pénitencerie porte à son sommet l'image de la Sainte Vierge, tenant dans ses bras son divin enfant. C'est une pensée de miséricorde, qui a présidé à la confection de ce cachet. Les Papes ont voulu nous apprendre par là, que nous ne devions pas hésiter de recourir à ce tribunal, qui se mettait ouvertement sous le vocable de celle que l'Eglise appelle *Mater misericordiae*. La Mère du Sauveur est la source de toutes les grâces; nous sommes sûrs de trouver par elle le pardon de nos crimes, vérifiant cette autre parole de nos saints livres: *Ubi superabundavit delictum, superabundavit et gratia* „.

§ 2. — De Sacra Romana Rota.

Mandosius, Tr. de monitoriis, Romae, 1581. — Tanaglia, Urbis et orbis supremi tribunalis monumenta seu de S. Rotae romanae auditorio, Liburn., 1654. — Emerix, Notitia S. Rotae romanae (Manuscript.) 1676. — Capucii Aesid., Praxis iudiciaria recentissima, Romae 1680. — Bernini Domin., Il Tribunale della Sacra Rota romana, Roma, 1717. — Marchetti, Notizia delle giurisdizioni che sono in vigore nello Stato pontificio, Roma, 1850. — Bondini, Del tribunale della S. Rota romana, memorie storiche colle rispettive bolle de' Pontefici ridotte in compendio col metodo del Guerra e volgarizzate, Roma, 1854. — Tailetti, Breve esposizione dei privilegi conferiti dai Sommi Pontefici agli uditori della sagra romana rota, Roma, 1854. — Henner K., Zur Geschichte der Rota Romana, im Arch. f. k. KR. Band 73, s. 177 ff, 1895. — Sägmüller, Die Entwicklung d. Rota b. z. Bulle Iohanns XXII " Ratio iuris „ a. 1326 (richtig 1331) in Th. Quartalschr. LXXVII, 97 ff., 1895. — Hilling N., Die Errichtung des Notarekollegiums an der römischen Rota durch Sixtus IV im Jahre 1477, 1904. — Menestrina, Il processo civile nello Stato pontificio, Torino, 1908. — Regulae servandae in praecipuis actis iudiciariis apud S. Romanae Rotae tribunal, Romae, 1909.

136. Institutio. — Antiquissimum esse istud tribunal, quod, ut loquitur Card. De Luca (loc. cit., disc. XXXII, n. 1), " inter illos Romanae Curiae iudices, qui in forma iudiciali causas contentiosas cognoscunt ac decidunt, primam ac maiorem figuram facit „, extra dubium omnino est. Quonam autem tempore prima romanae rotae, qua tribunal est, existentia reponenda sit, incertum est maxime.

Antiquitus Romani Pontifices ad decidendas questiones, quae ad ipsos deferebantur, usi certo sunt opera quorumdam adiutorum. Hos adiutores desumptos esse ex cappellanis Papae iisque iam a remota aetate datum fuisse nomen Auditorum voluerunt nonnulli; his tamen assertionibus firmum quoddam historicum fundamentum deest. Ita si qui in S. Augustino Anglorum apostolo a S. Gregorio M. sub finem sexti seculi " Auditor meus „ appellato viderunt iam aliquem iudicialem auditorem Pontificis, nullum aliud

argumentum pro sua assertione afferre potuerunt, nisi illud, quod ex promiscuitate vocis desumitur, quod tamen maxime infirmum èsse ex eo quoque patet, quod Augustinus Gregorii auditor fuerit, quia eius alumnus et discipulus, ut notat Phillips (KR., loc. mox cit.), cui praeiverat Moroni (Dizionario di erudizione storico eccl. v. " Uditori di Rota „, pag. 270). Neque cappellani pontificii sub hoc nomine adeo antiquitus apparent, quum eos certo non inveniamus ante Innocentium II et Lucium II seculo duodecimo. Cfr. Phillips, KR., VI, § 305, 307. His adiutoribus, quorum opera utebantur Pontifices, et quibus progressu temporis Auditorum vel Cappellanorum nomen factum est, demandare prius soliti Pontifices fuerunt simplicem causae notionem, sibi reservato iure causam decidendi et iuridica sententia finiendi, audito etiam aliquando " consilio fratrum „ idest cardinalium. Postea demandata ipsis fuit non solum notio, sed etiam iurisdictio. Quod autem cum singulis auditoribus factum est, hoc fieri etiam coepit cum pluribus, quibus collegialiter causas quasdam videre et decidere commissum fuit. Hinc, ait Lega (de iudiciis, II, 44), " sensim constitui coepit ex auditoribus quoddam collegium hoc habens quasi ordinarium munus, expediendi scilicet iudicialiter causas eidem commissas ex delegatione Summi Pontificis „. Hinc initium collegii Auditorum causarum s. palatii seu Auditorum S. Rotae, cuius maxima evolutio exeunti seculo decimotertio non immerito adscribenda videtur. Certas autem leges huic tribunali dare coepit Ioannes XXII const. " Ratio iuris „ a. 1331. Hanc secutae sunt constitutiones Martini V " In apostolicae „ 1 sept. 1418 et " Rom. Pontificis „ a. 1424, in quibus agitur de qualitatibus auditorum eorumque vita et moribus. His accesserunt constitutio Sixti IV " Rom. Pontificis „ prid. id. mai 1472, qua Pontifex numerum auditorum ad duodenarium reducit; constitutio Innocentii VIII " Circumspecta „ X kal. sept. 1485, qua edicitur vacare locum auditoris, qui ad aliquam ec-

clesiam fuerit promotus; constitutio eiusdem Innocentii VIII " Finem litibus „ id. iun. 1488, qua Pontifex quaedam exponit et declarat circa iurisdictionem auditorum Rotae; constitutio Leonis X " Sedis Apostolicae „ XVII kal. oct. 1513, qua privilegium auditoribus conceditur ut quaecumque litterae apostolicae pro ipsis gratis expediantur; constitutio Clementis VII " Convenit aequitati „ non. aug. 1525, constitutio Pauli III " Attendentes „ a. 1536, et constitutio eiusdem Pontificis " Rom. Pontificis „ 17 aug. 1537, quibus plura conceduntur auditoribus privilegia; constitutio Pii IV " In throno „ VI kal. ian. 1562, qua istius tribunalis necessaria quaedam reformatio inducitur; constitutio eiusdem Pontificis " Dudum siquidem „ VI kal. aug. 1562, qua statuitur, ut decanatus cum qualibet praeeminentia spectet ad antiquiorem auditorem tempore vacationis praesentem in curia aut extra curiam exsistentem de mandato Pontificis; constitutio Urbani VIII " Exponi nobis „ 19 nov. 1643, qua Pontifex insistit in obligatione auditorum servandi secretum, de quo iuramentum edere vult adiutores quoque auditorum; constitutio Innocentii X " Dum assiduos „ 7 mart. 1645, qua Pontifex auditoribus concedit ut ubique in conciliis generalibus, in congregationibus, coram Pontificibus, imperatoribus et regibus gestare possint rochetum; constitutio Alexandri VII " Nuper certis „ 16 oct. 1655, quibus auditores Rotae creantur subdiaconi apostolici eisque assignatur *subtanea et redimiculum galeri coloris violacei;* constitutio Clementis X " Romani Pontificis „ XIV kal. ian. 1671, qua auditores deputantur custodes palliorum; constitutio Clementis XII " In summi „ XV kal. dec. 1734, qua nonnullae controversiae solvuntur, an scilicet decanatus optari possit ab aliquo episcopo titulari et an causa eorum, qui auditorum sunt consanguinei, tractari possint in Rota; breve Clementis XIV " Quum primum „ VII kal. iun. 1770, quo confirmantur et ampliantur privilegia auditorum, et statuitur ut non admittantur auditores nisi ii, qui in sacris

ordinibus sunt constituti. Tandem Gregorius XVI in suo codice edito motu proprio anni 1834 plura quoad Rotae tribunal immutavit.

Anno 1870 notae circumstantiae effecerunt, ut tribunal Rotae exercitium sui muneris intermitteret. Auditoribus autem anno 1878 die 23 octobris Leo XIII per litteras card. Nina a secretis Status commisit munus iudicandi de legalitate processuum ordinariorum et apostolicorum super virtutibus et miraculis servorum Dei et decidendi de eorum validitate, praeside emo card. ponente; cui muneri idem Pontifex per litteras card. Rampolla a secretis Status diei 19 dec. 1895 addidit aliud munus examinandi et decidendi dubia de *non cultu* et de *fama in genere* eorumdem servorum Dei.

137. — Huic tribunali nomen Rotae, romanae Rotae, sacrae Rotae datum est, et iudicibus nomen Auditorum causarum s. palatii vel Auditorum Rotae. Nomen hoc *rotae* primum videtur recurrere in citata bulla Martini V " Romani Pontificis „. Undenam vero hoc nomen fuerit desumptum, incertum est. Multas eruditi circa hoc dederunt explicationes plus minusve probabiles, nullam certam. Deducere enim nonnulli hoc nomen voluerunt a circulo seu a rota, quam efformabant auditores, quod scilicet in orbem sedentes controversias rotant et examinant, ut volunt Emerix et Piazza; alii ex eo quod causae ab auditoribus *per turnum* cognoscuntur; alii ex pavimento aulae, in qua sessiones habebantur, quod rotam quamdam porphyreticam seu ex porphyretico marmore *(porfido)* praeferebat; alii ex aliis huiusmodi. Ehrle (Historia bibliothecae Rom. Pontificum tum Bonifatianae tum Avenionensis, tom. I, pars altera, pag. 696) post Bangen (Die römische Curie, p. 297, 337) putat rotam dici ab eo pluteo seu instrumento ligneo, in quo codices seu officiorum libri in bibliothecis aut in choro collocabantur ad commoditatem legentium. Haec explicatio, qua Ehrle putat absque dubio definiri controver-

siam hanc de nomine rotae tamdiu inter viros doctos agitatam, placuit Lega (loc. cit.), cui visa sunt documenta, quae afferuntur, rem evincere (1); Wernz (loc. cit., II, 669) autem magis sobrie de ea loquitur, eam probabilem dicens.

138. — Constitutio nostra tribunal hoc Rotae anteactis temporibus omni laude cumulatum in exercitium revocat determinato ambitu eius competentiae et modo exercendi suam iurisdictionem Lege propria, quam in hunc finem dedit Pontifex.

139. Constitutio. — Rota constat competenti numero auditorum, qui antiquitus indeterminatus erat, postea, ut diximus, a Sixto IV (quo tempore ad quadraginta erant auditores) ad duodenarium restrictus est. Hoc servatum est hucusque, quamvis, silente his ultimis temporibus Rota, minor saepe numerus auditorum sit habitus. Constitutio nostra, vel potius Lex propria, auditores ad decem reducit ab ipso Pontifice libere electos.

Usque ad finem seculi elapsi ex variis orbis locis eligebantur, tres scilicet ex ipsa urbe Roma, unus ex Hetruria, unus ex civitate Bononiensi, unus e ducatu Ferrariensi, unus e republica Veneta, unus e ducatu Mediolanensi, unus ex imperio Austriaco, unus e Gallia, duo ex Hispaniis. In novissima auditorum electione, quae constitutionem nostram brevi intervallo secuta est, nullum factum est discrimen inter Italos, quorum septem dicti sunt auditores, nulla habita ratione diversarum italicarum regionum, ad quas pertinebant. His additi sunt unus ex Gallia, unus ex

(1) Sermo scilicet est de quadam *rota auditorum* in rationibus camerae de anno 1351-52 die 7 aprilis. Ceterum quod rotae nomen adhibitum fuerit quoque ad significandum pluteum versatilem pro libris etc., hoc docetur iam a Du Cange, Glossarium mediae et infimae latinitatis, Parisiis, 1845 sub v. Rota, n. 9.

Germania, unus ex Anglia, et nuper unus ex Austria. Antiquior omnibus in munere Auditoris Decani nomen et honorem habet. Pro hac vice in nova hac instauratione Rotae Decanus a Romano Pontifice nominatus est. Decanus primus est inter pares, eique ab officio cedenti succedit ipso iure ille ex Auditoribus, qui primam sedem post decanum obtinet, scilicet antiquior post ipsum in munere auditoris, quum auditores post decanum ordine sedeant ratione antiquitatis in munere.

140. — Constitutione hac nostra in Rotae compage et structura immutatio quaedam introducta est non mediocris momenti et valde utilis ad administrationem iustitiae. Immutatio autem est, quae probat spiritum *sanae modernitatis* amantissimum Pii X, qui dum ex una parte in iis, quae ad dogma spectant et ad doctrinam ecclesiae, novitates maxime detestatur, quia errores sunt, ita ex altera parte in iis, quae ad disciplinam spectant, ea non respuit, quae etsi nova in bonum vergunt ecclesiae. Induxit igitur Pontifex in novae Rotae structuram *limitem* illum *aetatis*, quem vocant, statuendo ut auditores quum aetatem septuagintaquinque annorum attigerint (1), a munere cessent et emeriti evadant; quo, ut quisque videt, merito consuluit ut administratio iustitiae, quae a Rota fieret, nullum subiret ex devexa nimis auditorum aetate detrimentum ac damnum.

Auditores debent praeterea iure novo sacerdotes esse, maturae aetatis, laurea doctorali praediti saltem in theologia et iure canonico, honestate vitae, prudentia et iuris peritia praeclari.

---

(1) Cohaerenter ad haec proposito dubio: " An aetas 75 annorum, de qua in can. 1, § 3. Legis propriae rotalis intelligenda sit de anno 75 incoepto an potius expleto „. S. Congr. Consistorialis (28 iul. 1909) respondit: " Affirmative ad primam partem, negative ad secundam „.

141. — Eliguntur autem omnes libere a Romano Pontifice, et eius unica electione in munere constituuntur. Hinc abolitae sunt eae solemnitates, quae in antiqua Rota servabantur in electione auditorum, nec probabantur ab omnibus. Iuverit hic earum narrationem verbis card. De Luca (loc. cit.) referre: " Huiusmodi auditorum admissio ad collegium ex antiquo stylo nimium solemnis ac laboriosa est. Postquam etenim sive ad nominationem sive ex ipsius electione, ut supra, Pontifex cum eius motu proprio in locum illius auditoris, qui per mortem vel per promotionem defecit, alium subrogavit; iste assumendo togam doctoralem (quae prius omnibus curialibus communis, hodie advocatorum consistorialium singularis est), advocati munus suscipere profitetur, tam in scriptis, quam oretenus in causis in ipsa Rota vertentibus, cum obligatione visitandi singulos auditores per multas vices adeo ut in huiusmodi aliisque ceremoniis plurium mensium spatium decurrat, illa solum tractamenta recipiendo, quae aliis Consistorii advocatis conceduntur, more superioris cum inferiori, ut neque propriae domi dextera manus ei per auditores tribuatur (nisi quando electus in praelaturae statu iam constitutus esset) „.

" Huiusmodi vero introductionem aliqui commendant tamquam prudentem atque ex eo laudabili fine derivatam, ut ita interim ultramontani ac alii, qui ex diversis partibus, ut supra, assumuntur, in hoc depressiori adeoque obsequioso statu, curiae praxim magnamque eius urbanitatem addiscant „.

" Istis ceremoniis expletis ex parte, in sibi statuta die tenetur aliquas conclusiones ad materiam alicuius canonis vel legis civilis publice sustinere in aula magna palatii Cancellariae apostolicae, in conspectu totius Collegii Cardinalium, quod ad hunc effectum solemniter cum rochetto et cappa magna, ad formam consistorii vel cappellae, in isto loco congregatur; istaque occasione aula repleta est praelatis, advocatis et procuratoribus aliisque curialibus,

nec non ipsorum cardinalium aulicis curialibus, pluribusque nobilibus pueris, qui pro consueto obsequio cardinales comitentur, adeo ut revera sit nimiae maiestatis solemnitas. Ista vero functio, pro sola ratione venerationis, quae antiquitati debita est, atque pro curiae maiestate ab aliquibus laudatur, ab aliis vero ob inverisimilem disputationis formam improbatur, quasi quod ex huiusmodi scholastica functione, quae adolescentibus potius congrua est, iudicium efformari non valeat idoneitatis illorum, qui graviores totius orbis causas spirituales ac etiam profanas temporalis ditionis ecclesiae, sive alias accidentaliter ad forum ecclesiasticum pertinentes iudicaturi sunt... Istaque functione bene peracta, alteram idem electus sustinet magis rigorosam, sed secretam, coram ipsius Rotae auditoribus tantum, in eadem scholastica forma arguentibus „.

" Ista quoque functione peracta, per duos auditores praesentatur conspectui Papae, a quo obtinetur oraculum admissionis in Rota, praevia iuramenti praestatione, aliisque adimpletis, quae ad constitutionum apostolicarum praescriptum adimplenda sunt „.

" Inter quae, priusquam praefati actus ceremoniales sequantur, occasione praesentationis motus proprii pontificii, est rigorosus processus super iustificatione legitimorum natalium, adeo ut huius tribunalis chronicae doceant, quod sub praefato Sixto IV potius Papae iram cum omnium auditorum exsilio ab Urbe pati voluerint, quam recipere inter eos virum alioquin in litteratura insignem, qui pateretur defectum natalium, non obstante quod illis per Papam amplissime restitutus esset „.

" Item iustificanda est eius congrua provisio pro suppletione decentis sustentationis, quam iudicaturae emolumenta non suppetunt... „.

" Donec autem, his omnibus peractis, formalis admissio ad sedendum in Rota non sequatur, auditor Rotae non dicitur, quum in confectione processus vel in examine

reiici valeat, ideoque aliquibus indultis, quae Rotae auditoribus concessa sunt, non potitur... „.

" Admissus novus auditor in prima rota nullum profert votum, ut alios audiendo votandi modum addiscat „.

142. Praeter auditores habentur in rota eorum adiutores. Singuli enim auditores, probante rotali collegio, et accedente consensu Summi Pontificis eligere sibi debent unum, non plures, studii adiutorem. Isti adiutores non debent de necessitate esse clerici, dummodo tamen sint doctores in iure saltem canonico et praestent honestate vitae. Quamvis in hac prima rotae instauratione adiutores ab ipsa S. Sede fuerint singulis auditoribus destinati, electio tamen adiutorum, ut dixi, ad auditores spectat, ad quorum etiam nutum in officio manent.

Sunt praeterea in sacra Rota promotor iustitiae et defensor ex officii sive vinculi matrimonialis sive professionis religiosae, sive ordinationis sacrae. Ambo debent esse sacerdotes, qui obtinuerint lauream in theologia et in iure saltem canonico, aetate et prudentia praestantes. Electio pertinet ad Rom. Pontificem, qui ad eam procedit, proponente collegio auditorum.

Habentur quoque notarii, qui actuarii quoque et cancellarii munere funguntur, electi a collegio auditorum, praevio concursu, et confirmandi a Pontifice. Non sunt de necessitate sacerdotes, si duo ex his excipiantur, quibus exclusive reservetur munus notarii et actuarii in causis criminalibus religiosorum et clericorum.

Alii quidam inferiores officiales superius nominatis adiunguntur in ipsa quoque constitutione nostra.

143. Competentia. — Competentiam antiquae rotae sic exponit card. De Luca (loc. cit., n. 60): " Cognoscit itaque istud tribunal causas utriusque fori, ecclesiastici scilicet per universum orbem catholicum tamquam tribunal Papae uti Papae et episcopi ecclesiae universalis; et fori

temporalis tamquam tribunal principis temporalis status ecclesiastici immediati, qui ex notabili Italiae parte constituitur, ac etiam ex Statu Avenionensi et ex comitatu Venosino in Gallia, quorum causas graves quoque ex commissione eorum legati, et quandoque etiam Papae, cognoscere solet; civiles tamen, non autem criminales, in quibus se non ingerit „.

144. — Constitutio nostra in lege propria instauratae Rotae competentiam ex parte ampliat, ex parte restringit. Ante omnia enim de Rota agit tamquam de tribunali mere ecclesiastico, sed et praeterea eius cognitioni assignat, si de causarum materia et obiecto quaeritur, causas iudiciales omnes, non civiles tantum seu mere contentiosas, sed criminales quoque, exceptis tantummodo causis maioribus. Causae enim maiores, sive tales sint ratione obiecti, sive ratione personarum, ab ambitu competentiae Rotae excluduntur.

Imo expresse in lege propria edicitur incompetentiam Rotae quoad has causas omnimodam esse, ita ut ne obiter quidem de ipsis cognoscere queat, et si quid circa ipsas egerit, sit ipso iure nullum. Quae dispositio extendenda est etiam ad dispositiones ordinariorum, quae non fuerint iudiciali sententia latae; competentia enim Rotae respicit tantummodo causas stricte iudiciales, non autem decreta episcoporum seu provisiones in ordine administrativo.

Quoad gradum autem, notandum est Rotam esse per se et principaliter tribunal appellationis; quare ordinaria sua potestate cognoscere nequit eas causas, quae nondum legitima alicuius inferioris iudicis sententia fuerint terminatae. Quoad causas autem primae instantiae eas videre non potest, nisi de commissione SSmi Domini. Semel autem a Romano Pontifice Rotae commissae, eidem commissae intelliguntur etiam pro secunda et tertia instantia, nisi aliter expresse cautum fuerit in ipso commissionis rescripto.

De restitutionibus etiam in integrum Rota videt, prout patet ex can. 14 legis propriae, qui est sequens:

§ 1. Sacra Rota iudicat in prima instantia causas, quas sive motu proprio, sive ad instantiam partium Romanus Pontifex ad suum tribunal avocaverit, et Sacrae Rotae commiserit; easque, si opus sit, ac nisi aliter cautum sit in commissionis rescripto, iudicat quoque in secunda et in tertia instantia, ope turnorum subsequentium iuxta praescripta *can. 12.*

§ 2. Iudicat in secunda instantia, causas quae a tribunali Emi Urbis Vicarii et ab aliis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint, et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferuntur. Itemque eas iudicat, si opus sit, etiam in tertia iuxta modum in *can. 12* praescriptum.

§ 3. Iudicat denique in ultima instantia causas ab Ordinariis et ab aliis quibusvis tribunalibus in secundo vel ulteriori gradu iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint, et per legitimam appellationem ad Sanctam Sedem deferuntur.

§ 4. Videt quoque de recursibus pro restitutione in integrum a sententiis quibusvis, quae transierint in rem iudicatam et remedium invenire non possunt apud iudicem secundae instantiae iuxta titulum *De rest. in integr.*; dummodo tamen non agatur de re iudicata ex sententia Sacrae Romanae Rotae; et in his iudicat tum de forma, tum de merito.

145. Modus procedendi. — De modo procedendi antiquae Rotae nihil heic dicendum puto, quum longior ad hoc requireretur tractatio, quae extra limites mihi praefixos nimis me pertraheret. Qui eum cognoscere velit, adire potest card. De Luca discursu citato et alios, qui de hac re pluribus egerunt.

146. — Novae autem Rotae procedendi modus probe explicatur in lege propria. Hic tantummodo adnoto duplicem modum iudicandi, quem Rota habet, aut scilicet per *turnos* trium auditorum, cuius praeses semper est auditor, qui trium iudicum antiquissimus est, nisi is auditori

impedito sufficiatur; vel *videntibus omnibus,* quando scilicet omnes simul auditores aliquam causam videre debent. Extraordinarie fieri etiam potest ut Rom. Pontifex causam aliquam Rotae committens simul iniungat ut eam quinque aut septem auditores videant, quo in casu standum est adamussim rescripto commissionis.

Tum auditores singuli, post nominationem, coram universo collegio, adstante uno ex notariis ad actum rogandum, tum singuli auditorum adiutores et tribunalis alii administri coram decano, uno pariter ex notariis adstante, iuramentum praestant de munere rite et fideliter adimplendo.

Ad secretum autem officii tenentur omnes Rotae officiales et administri in causis criminalibus ac spiritualibus et in aliis, quando ex revelatione alicuius actus partibus praeiudicium aliquod obvenire potest aut secretum impositum ipsis fuit ab ipso tribunali. Secretum violantes tenentur de damnis et puniri etiam possunt iuxta modum in lege propria statutum.

Prohibitae etiam sunt, prudentissima decisione, eae, quae prius habebantur, informationes orales ad iudicem.

147. — Tempore cardinalis De Luca (loc. cit., n. 33) Rota habebatur " bis in hebdomada, in secunda scilicet et sexta feria de mane ab aliquo moderno tempore in palatio cardinalis vice-cancellarii, quem habere in hoc tribunali aliquam praesidentiam advertitur supra agendo de dicto cardinali. Prius enim tenebatur in palatio Vaticano excepto tempore aestivo, in quo habebatur in coenobio canonicorum regularium Lateranensium (quod Pacis dicitur). Atque ubi in dictis diebus festum contingat, quod Rotam impediat, illa habetur in feria quarta, dum isti tres dies tantum iuridice pro actibus iudicialibus conficiendis reputantur; et quando etiam haec dies impedita sit, quandoque (licet nimium raro casus id praebeat) Rota habetur in die sabbati, istaque rota Martiniana appellari solet „.

Nunc nulla dies pro eius conventibus assignata est. Adunatur autem Rota in palatio Datariae; nec de eius, lata etiam, dependentia a cardinali cancellario mentio ulla est. Circa vacationes autem Rota utitur iisdem regulis, quae pro aliis officiis S. Sedis in Normis communibus statutae sunt.

§ 3. — De Signatura Apostolica.

Gomes, Compendium utriusque signaturae, Paris., 1547. — Staphilaeus Io., De litteris gratiae; [illegible]ignatura gratiae et litteris apostolicis in forma brevis, Parisiis, 1558. — Mandosius Quintilian, Praxis signaturae gratiae, Romae, 1559. — Marchesani I., Commissionum ac rescriptorum utriusque signaturae S. D. N. Papae praxis, Romae, 1615. — De Matienzo Ioann., Tractatus de referendariorum, advocatorum, iudicum officio, requisitis, dignitate et eminentia, Francof., 1618. — De Fatinellis Fatin. Luc., De referendariorum votantium signaturae iustitiae collegio, Romae, 1696. — Vitale, Comm. de iure signaturae iustitiae, Romae, 1756.

148. Institutio. — Loquens de institutione istius tribunalis, facile possem rem totam brevissime expedire. Ipse enim Pontifex in constitutione " Sapienti consilio „ expresse dicit, se hoc Signaturae apostolicae tribunal potius instituere, quam restituere. Et re quidem vera, si quis a nomine praescindat et rei substantiam attendat, facile videbit novam hanc Signaturam ab antiquis in totum discriminari. Quum tamen ipsa constitutio nostra de Signatura gratiae et iustitiae mentionem faciat, eas suppressas renunciando, aliquid de his brevissime, ne in antiquitatibus iuris nimium videar distineri, innuam.

149. — Impossibile est determinare quandonam in Curia inceperit Signatura. Evidens tamen est eius originem ad antiquissima tempora esse referendam. Profluit enim Signatura ex ipsa praxi antiquissima recurrendi ad Romanum Pontificem tum ad obtinendas speciales quasdam gratias, tum ad decisionem controversiarum iudicia-

lium, super quibus supremum expetebatur S. Sedis iudicium.

Supplicationes huiusmodi non paucae, ut patet, erant, quemadmodum et nunc sunt; nec omnes poterant indiscriminatim admitti, quin Pontifex probe prius cognosceret quid et quibusnam in adiunctis ab eo expeteretur. Hinc necessitas fuit ut Papa uteretur ad hoc opera quorumdam adiutorum, qui ei referrent obiectum petitionum, quique proinde progressu temporis referendarii apostolici dicti sunt.

Vitale (*de iure Signaturae iustitiae*) affirmat seculo XIII, et praecise anno 1243, iam referendarios, hoc nomine distinctos, extitisse, et de iis, quemadmodum et de eorum munere, mentionem facere Innocentium IV.

Excrescente postea supplicationum numero factum est, ut referendarii, quemadmodum notat Vitale, in collegium coirent, iisque mandatum esset munus rescribendi loco Pontificis. Postea Alexander VI, ut asserit Moroni (Dizionario, ecc., v. " Segnatura di giustizia „) (1), Signaturam divisit in Signaturam iustitiae et Signaturam gratiae, et proinde referendarii ipsi alii fuerunt referendarii Signaturae iustitiae, alii referendarii Signaturae gratiae.

Plures Pontifices non parum postea allaborarunt ut tribunal Signaturae iustitiae et Signatura ipsa gratiae meliorem haberent constitutionem, et referendariis plura concesserunt privilegia. Memoratu dignae sunt inter alias constitutio Sixti V " Quemadmodum „ 22 sept. 1586, qua Pontifex ad centum dumtaxat restrinxit numerum referendariorum Signaturae iustitiae, et ad septuaginta numerum referendariorum Signaturae gratiae, qui omnes nimium excreverant, quum assignatio nominis potius ad

---

(1) Wernz dicit hoc locum habuisse ineunte seculo decimo sexto (et proinde cum Moroni plus minusve concordat), quum in constitutione Pii IV " Quum nuper „ 1 iul. 1562 distinctio haec iam supponatur usu recepta.

honorem fieret quam ad muneris exercitium. Voluit etiam Sixtus V, ut ad resecandam inutilem multitudinem quibusdam eligendi ornarentur qualitatibus, quas in eadem constitutione recenset. Postea Alexander VII constitutione " Inter ceteras „ 13 iun. 1659 in collegium erexit referendarios unius et alterius Signaturae, non quidem omnes, sed duodecim tantum cum suo decano, qui votantes dicerentur, aliis manentibus simplicibus referendariis tum participantibus tum non participantibus. Quum autem nec congruum nec utile visum fuerit Innocentio XII, ut demortuo vel promoto iustitiae referendario votanti ipso facto sufficeretur antiquissimus inter referendarios simplices, constitutione sua " Inter gravissimas „ 20 iul. 1695 statuit Pontifex ut omnium referendariorum votantium iustitiae electio libere fieret a Papa. Benedictus XIV brevi " Militanti ecclesiae „ 7 iun. 1746 definivit controversiam quamdam inter referendarios exortam statuens ut in ordine sedendi et votandi in Signatura unice attenderetur maior vel minor antiquitas nominationis ad munus, posthabita quacumque alia ratione praecedentiae, qualis esset ex. gr. inter referendarios episcopali ordine insignitos et referendarios non episcopos. Leo XII motu proprio " Quum plurima „ 15 apr. 1826 referendariis concessit titulum nobilitatis. Tandem Gregorius XVI motu proprio " Elevati appena „ 10 nov. 1834 noviter ordinavit iustitiae Signaturam. Signatura autem gratiae ultimum habuit cardinalem praefectum Franciscum Tiberi, qui mortuus est die 29 oct. anni 1839, et ab anno 1847 huius Signaturae nulla amplius mentio facta est in catalogis tribunalium et officialium Curiae.

150. — Non displicebit iuris studiosis, ut hic referam ea, quae card. De Luca (loc. cit., disc. XXX, n. 4 sqq.) tradit de Signatura gratiae, quae tum continent quaedam scitu digna, tum innuunt differentiam inter utramque antiquam Signaturam, gratiae et iustitiae.

Dicit igitur De Luca: " Attento hodierno statu (quum de antiquo curiosus apud illorum temporum scriptores de facili inspicere valeat) utriusque Signaturae tribunalia inter se distincta sunt, quorum unum dicitur Signaturae Sanctissimi seu gratiae, quod sonat in idem; et alterum dicitur Signaturae iustitiae „.

" De primo autem in praesenti agitur, de altero autem discursu sequenti. Atque quatenus ad illud pertinet, continet quamdam publicam seu solemnem functionem seu congregationem, quam ipsemet Papa per quamdam speciem parvi consistorii in eius palatio tenet, pro discussione aliquarum precum, vel supplicationum, quae sibi porriguntur, an scilicet, et quomodo eas signare, vel potius recipere debeat; siquidem, iuxta consuetum Curiae ordinem, qui ad Papae placitum est variabilis, eodem modo, quo de Consistorio dictum est, bis in mense, et sic alternatis hebdomadis, inter Consistorium, et hanc Signaturam, feria tertia, quae martis vulgo dicitur, de mane, in una ex aulis interioribus palatii Papa sedet, quadam parva tabula ante ipsum posita, cum atramentario, aliisque instrumentis opportunis ad scribendum, et subscribendum, eique a duobus lateribus assistunt aliqui Cardinales in numero competenti pro eius arbitrio huic Congregationi adscripti, sedentes in scabellis capite cooperto ad formam Consistorii; cum ea tamen differentia, quod in Consistorio assistunt cum habitu magis solemni, nempe cum cappa supra rocchettum; in ista vero Congregatione, prout in aliis omnibus supra enunciatis, quae fiant coram Papa, assistunt cum consueto habitu, quo utuntur incedendo per Urbem, nempe cum rocchetto, mantelletta, et mozzetta, sine tamen pallio, quod in actibus privatis deferunt; Cardinales vero nullum proferunt votum, nisi quatenus eorum aliqui per ipsum Papam interrogentur, quod numquam, vel nimium raro contingere solet, respectu illorum Cardinalium, qui non ratione officii interveniunt, sed solum ut praestent assistentiam Papae pro eius maiestate; loqui

autem solent ex officio, vel interrogati illi Cardinales, qui in Signatura interveniant ratione officii, unde propterea eis incumbat certiorare Papam de aliqua circumstantia in causa, quae pertineat ad eius officium, vel tribunal, ut (ex. gr.) sunt Cardinales Vicarius et Camerarius, Praefectus Signaturae iustitiae; ac etiam Praefecti Congregationum Cardinalitiarum, de quibus supra, eodem modo quo habetur infra de illis Praelatis, qui ratione officiorum, vel tribunalium assistunt; et est quoque Datarius, quando sit Cardinalis „.

" Post Cardinales stant, capite discooperto, cum rocchetto, mantelletta, et birreto in manibus, illi duodecim Praelati seniores, qui Votantes dicuntur, tamquam Papae assessores, vel consiliarii, eorum votum prolaturi, quatenus Papae placeat, ac videatur illud exquirere; ac etiam assistunt pariter stantes, et capite discooperto, eodem praelatitio habitu induti quamplures officiales, nempe; auditor Camerae, et Thesaurarius, qui stant proximiores Papae, post eius sedem, unus a dextris et alter a sinistris; item Datarius, si est Praelatus; Decanus Rotae, vel eo impedito Prodecanus; Decanus Camerae, vel eius loco Prodecanus; Vicesgerens Vicarii; unus Protonotarius, duo locumtenentes Auditoris Camerae; Regens Cancellariae; unus ex Abbreviatoribus de Parco maiori; et Auditor Camerarii; et in summa illi Praelati, qui sunt in Curia iudices ordinarii, sive de aliquo tribunali, ad effectum, ut quando tractetur de causis ad illud tribunal pertinentibus, certiorare valeant Papam, eiusque Assessores de causae statu, vel de motivis, ex quibus facta, vel non facta sit aliqua provisio, adversus quam una partium ad Papam recurrat „.

" Ultra istos Praelatos, assistunt plerique alii, nempe Auditor domesticus Papae, tamquam eius Adiutor in causarum studio iam facto, beneque informatus, ut, contingente in relatione, vel discussione causae, aliqua facti dubitatione, possit ipsum Papam certiorare; ac etiam in-

terveniunt illi tres Praelati, qui ad differentiam seniorum habentium votum, qui propterea, ut supra, appellantur Votantes, dicuntur simplices Referendarii, qui causas, vel commissiones proponere debent; prout etiam introducuntur illi tres Praelati, qui iuxta ordinem turni, proponere debebunt causas, in proxima sequenti Signatura, nullam peragentes functionem, sed ad solum effectum, ut instruantur ad illam functionem bene peragendam „.

" Singuli itaque dicti tres Praelati, iuxta eorum ordinem, approximantes tabulae, quae est ante sedem Papae, eidem (ea qua decet reverentia, et humilitate), ordinatim, singulas sibi distributas, vel incumbentes commissiones proponunt, referendo quo brevius fieri potest, latino eleganti, sed laconico sermone, facti seriem, ac oratoris petitionem, et oppositoris exceptiones, absque tamen proprii voti prolatione; hisque peractis, in qualibet commissione; vel Papa, nullum exquirendo votum rescribit de reiectione cum consueto verbo *nihil;* vel de signatura cum clausulis sibi bene visis, unde propterea proceditur ad propositionem alterius commissionis; aut quando ipsi placeat, desuper a dictis duodecim Praelatis exquirit votum, quod prius profertur a dicto Praelato, qui commissionem proposuit (et qui propterea Ponens appellatur), deindeque a praefatis duodecim Votantibus, inter quos, more tribunalium collegiatorum, votorum discordiae, vel disputationes, pro causae discussione haberi solent; proferendo pariter votum, quo brevius fieri potest, cum eodem eleganti, et laconico latino sermone: et postquam numeratis votis prodierit resolutio a maiori parte, tunc in arbitrio Papae est, illud votum sequi, aut diverso modo rescribere; sive tunc non rescribendo, sibi reservare resolutionem dandam in Camera, per organum Auditoris. dum istud est votum mere consultivum „.

" Et quando in singularum commissionum propositione, vel discussione contingat, ut aliquis ex dictis Cardinalibus, qui interveniunt, nomine sui tribunalis, vel ad Papae in-

terrogationem, vel ex officio ad sui tribunalis defensionem, sit allocuturus, id agit, petita prius venia, ac stando, et capite discooperto, eodem modo quo iidem Cardinales, singulariter alloquuntur Papam in Consistorio; si vero sunt Praelati, petita etiam venia, cum maiori reverentia, et obsequio, alloquuntur genuflexi „.

151. — Haec quidem de Signatura gratiae, quae proinde, ut patet, coram Pontifice agebatur, et in qua praelati aliique omnes votantes votum non habebant nisi consultivum. Aliud prorsus obtinebat in Signatura iustitiae, quae tribunal erat, quod vice ac nomine Papae regebatur per cardinalem quemdam praefectum, in cuius domo qualibet feria quinta non legitime impedita, vel in hoc casu alia die, habebatur. Duodecim praelati referendarii seniores votum in hac Signatura praebebant, quod non mere consultivum, ut in Signatura gratiae, sed definitivum erat, seu, ut loquitur Card. De Luca (loc. cit., disc. XXXI, n. 3) arctativum, quod scilicet praefectus sequi debebat. Ex hoc autem fiebat ut ordinarie praefectus a voto dando abstineret, excepto casu, quo nulla sumi posset resolutio ob votorum scissuram et inaequalitatem, quam votum praefecti poterat in unam partem resolvere.

152. — Ex hac diversa utriusque Signaturae constitutione eveniebat, ut multa tribunalia exempta essent a Signatura iustitiae, quae tamen subiacebant Signaturae gratiae, nec non ut Signatura iustitiae secundum ius, Signatura autem gratiae etiam praeter vel contra ius responderet, quum supremus Princeps possit non solum secundum leges iudicare, sed etiam legibus derogare aut ab eis dispensare.

153. — Circa naturam autem utriusque Signaturae sequentia adnotat De Luca (loc. cit., d. XXX, n. 38 sq.). Et primum de Signatura gratiae haec habet: " De regulari

vero natura huius tribunalis est se non ingerere in causis indifferentibus, in quibus manus apposuit vel apponere potest Signatura iustitiae, minusque in iis, quae de iure competant, sive per ordinarios iudices concedi vel explicari possunt; sed solum in iis, quae indigent suprema et extraordinaria Principis potestate. Unde propterea quando contingat ut huiusmodi petitiones fiant, tunc prudenter ac fundate emanare solet rescriptum, quod orator utatur suo iure, sive quod suos iudices et magistratus adeat competentes. Et merito quidem ex iuris propositione, quod, ubi suppetunt remedia ordinaria et iuridica, concedi non debent extraordinaria, quae a Principis suprema pendent potestate, quum haec mere subsidiaria censenda veniat „.

Signatura autem iustitiae erecta erat " generaliter pro omnibus utriusque pontificii et temporalis principatus ac etiam particularis episcopatus Urbis causis et negotiis, tam spiritualibus quam profanis, pro quibus Principem adire oporteat, ad effectum committendi causas appellationis vel restitutionis in integrum sive decidendi controversias super fori competentia, quae praecedenti discursu insinuatum est pertinere ad Signaturam gratiae „. De Luca, loc. cit., disc. XXXI, n. 1.

154. Constitutio. — Relicto examine de constitutione utriusque Signaturae, de qua aliquid in praecedentibus adumbratum est, hodierna apostolica Signatura constat sex cardinalibus ab ipso Rom. Pontifice electis, quorum unus munus gerit praefecti.

Praeter praefectum habetur etiam praelatus a secretis, notarius, qui sit sacerdos, nonnulli consultores a Pontifice electi et aliquot inferiores administri.

155. Competentia. — Competentiam antiquae Signaturae iustitiae et gratiae superius innui. Quoad competentiam Signaturae hodiernae, ea probe insinuatur in Lege propria, tit. 2, can. 37, qui est sequens:

Supremum Apostolicae Signaturae tribunal videt tamquam sibi propria ac praecipua:

1° de exceptione suspicionis contra aliquem Auditorem, ob quam ipse recusetur;

2° de violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus illatis, eo quod actum nullum vel iniustum in iudicando posuerint, iuxta can. 9;

3° de querela nullitatis contra sententiam rotalem;

4° de expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam, quae in rem iudicatam transierit.

156. Modus procedendi. — Hoc tribunal Apostolicae Signaturae in iis, quae pertinent ad officialium nominationem, iusiurandum, obligationem secreti, etc., eadem servat ac ea, quae pro S. Rota sunt constituta. Quoad modum vero procedendi in causis eisdem demandatis omnia accurate statuta sunt in lege propria a can. 38 ad 43.

Can. 38.

Ad postulandam restitutionem in integrum et ad introducendum iudicium nullitatis contra sententiam rotalem dantur tres menses utiles a reperto documento aut a cognita causa, ob quam ad haec remedia recursus fieri potest.

Can. 39.

§ 1. Expostulatio ad Signaturam pro restitutione in integrum non suspendit rei iudicatae executionem.

§ 2. Nihilominus ad instantiam partis recurrentis Signatura potest, incidentali sententia, inhibitionem executionis iubere, aut obligare partem victricem ad congruam cautionem praestandam pro restitutione in integrum.

Can. 40.

§ 1. Libellus, quo causa introducitur, exhibendus est Secretario Signaturae Apostolicae.

§ 2. Cardinalis autem Praefectus, una cum Secretario, accepta instantia, examinare debet, utrum fundamentum aliquod boni iuris habeat: quod si desit, instantiam ipsam quamprimum reiicere; sin vero habeatur, tenetur admittere.

Can. 41.

§ 1. In causa criminali, de qua sub num. 2 canonis 37, regulae processuales serventur, quae pro causis criminalibus a iure canonico statuuntur.

§ 2. In aliis iudiciis, de quibus in num. 1, 3 et 4, can. 37, Signatura procedere potest sola rei veritate inspecta, citata tamen semper parte adversa, vel conventa, vel cuius intersit, et praefixo partibus congruo peremptorio termino ad iura sua deducenda.

§ 3. Et in primo ex memorati iudicii casibus Apostolica Signatura inappellabili sententia definit utrum, an non, sit locus recusationi Auditoris. Quo facto, iudicium ad Sacram Rotam remittit, ut iuxta suas regulas ordinarias procedat, admisso in suo turno, vel non, Auditore, contra quem exceptio sublevata fuit, iuxta Signaturae sententiam.

In tertio casu de hoc tantum iudicat, sitne nulla rotalis sententia, et sitne locus eius circumscriptioni.

In quarto casu Apostolica Signatura, inappellabili sententia definit utrum, necne, locus sit restitutioni in integrum. Qua concessa, rem remittit ad Sacram Rotam, ut, videntibus omnibus, de merito iudicet.

Can. 42.

Cardinalis Praefectus, itemque Signaturae tribunal, si expedire reputent, convocare possunt Promotorem iustitiae et Defensorem vinculi penes Sacram Rotam, et ab eis votum exigere, vel etiam petere ut de actibus rotalibus, quae impugnantur, rationes explicent.

Can. 43.

In reliquis, quae necessaria sunt ad iudicii expeditionem, et non sunt in praecedentibus canonibus cauta, servari in primis debent, congrua congruis referendo, regulae pro Sacra Rota statutae, et deinde normae iuris communis.

III. — Officia.

§ 1. — De Cancellaria apostolica.

Cassiodori Gul., Super XIV reg. Cancellariae, Parisiis, 1545. — Barchin Pauli Hier., Practica Cancellariae apostolicae cum stylo et formis in curia romana usitatis, Lugd., 1549. — Mandosius, Comm. in regulas Cancellariae Iulii III, Venet., 1554. — Millaei Io., Annotationes in regulas Gomesii Cancellariae apostolicae, Lugd., 1557. — Mandosius Quintilian., In regulas Cancellariae apostolicae commentar., Romae, 1558. — Molina Car., Comm. in regulas Cancellariae apostolicae, Lugd., 1560. — Gomes Lud., In Cancellariae apost. regulas iudiciales, Venet., 1575. — Rebuffus P., Addit. in reg. Cancellariae, Paris., 1579. — Bladii Horat., Constitut Pii IV, V et Gregor. XIII cum regulis Cancellariae, Hab., 1583. — Gonzalez Hier., Ad regulam VIII Cancell. de reservatione mensium, Genevae, 1605. — Buthilleri Dion., Tract. ad regul. Cancellariae de infirmis resignantibus, Paris., 1612. — Peleus, In regulas Cancellariae, Paris., 1615. — A Chockier Erasm., Comm. in reg. Cancellariae apostolicae sive in glossemata Alphonsi Soto nuncupati Glossatoris, Coloniae, 1619. — De Quesada Rod., Regulae Cancellariae apostolicae Gregorii XV cum notis et indicibus, Romae, 1621. — Louetius Georg., Notae ad comm. Caroli Molinaei in regulas Cancellariae apostolicae, Paris., 1656. — Sprengeri Io. Theod., Roma nova cum regulis Cancellariae apostolicae et de privilegiis clericorum, Francof., 1667. — Ciampini, De abbreviatoribus de parco maiori sive assistent. S. R. E Vice-cancellario in litterarum apostolicarum expeditionibus, etc.; dissertatio historica, Romae, 1669. — Le Pelletier Jacques, Instructions pour les expéditions de cour de Rome, Paris, 1680. — Castel Perard, Paraphrase du commentaire de M. Ch. Du Moulin sur les règles de la Chancellerie romaine, Paris, 1685. — Ciampini, De S. R. E. Vicecancellario illiusque munere auctoritate et potestate deque officialibus Cancellariae apostolicae, etc., Romae, 1697. — Anon., Compendiaria notitia abbreviatoris de curia, Romae, 1696. — Oczenassek, Prael. iur. can. seu comm. in regulas Cancellariae Clementis XI, Vienn., 1712. — Bovio Giov. B, La pietà trionfante sulle distrutte grandezze del gentilismo, etc. ... e degli ufficii della Cancelleria apostolica e dei Cancellieri della S. R. Chiesa, Roma, 1729. — Riganti I. B, Commentaria in regulas, constitutiones et ordinationes Cancellariae apostolicae, opus posthumum, Coloniae Allobr., 1571. — Hedderich, Disputatio ad regulam Can-

cellariae de non tollendo ius quaesitum in Germania; diss. XVII, Bonn, 1783. — Erler, Der Liber Cancellariae apostolicae v. J. 1380, Leipzig, 1880. — v. Ottenthall E., Die päpstlichen Kanzleiregeln von Johann XXII bis Nikolaus V, 1888. — Tangl M., Die päpstlichen Kanzleiordungen von 1200-1500, Innsbruck, 1894. — Kehr P., Scrinium und Palatium. Zur Geschichte des päpstlichen Kanzleiwesens im 11 Jhrh., in Mitt. des Instit. für österr. Geschichtsf. VI Ergänzb. — Göller E., Mitteilungen und Untersuchungen über das päpstliche Register- und Kanzleiwesen im 14 Jahrh, besonders unter Johann XXII und Benedikt XII, in Quellen und Forschungen des Preuss. histor. Instituts in Rom Bd. VI 272 ff. — Chiari Andrea, Memoria giuridico-storico sulla Dataria, Cancellaria, rev. Camera apostolica, Compenso di Spagna, vacabili e vacabilisti, Roma, 1900. — An., Die Vacabilia d. päpstl. Kanzlei u. d. Datarie, im Arch. f. k. KR. LXXXII (1902) 163-165. — Von Hofmann W., Zur Geschichte der päpstl. Kanzlei vornehmlich in der 2 Hälfte des 15 Jahrh., Berlin, 1904. — Schmitz-Kallenberg L., Practica Cancellariae apostolicae seculi xv exeuntis, Münster, 1904. — Baumgarten, Aus Kanzlei u. Kammer, Freib., 1905. — Göller, Die Kommentatoren der päpstlichen Kanzleiregeln vom Ende des 15 bis zum Beginn des 17 Jahrhunderts, im Arch. f. k. KR. LXXXV (1905) 441 ff, LXXXVI (1906) 20 ff. 259 ff. — Baumgarten, V. d. apostol. Kanzlei, Köln, 1908.

Sacchetti, Privilegia Protonotariorum apostolicorum, Col. 1698. — Andreucci, Tr. de protonotariis apostolicis, Rom., 1742. — Riganti, De Protonotariis apostolicis, Rom. 1751. — Buonaccorsi Marchesi, Antichità del protonotariato apostolico partecipante, Faenza, 1751. — Brunet, Le parfait notaire apostolique et procureur des officialités et formules ecclésiastiques, Lyon, 1775. — Micke, De protonotariis apostolicis dissert., Vratisl., 1866. — Renaud, Des protonotaires apostoliques, in Revue des sciences ecclés., 1867. — Trombetta, De iuribus et privilegiis praelatorum romanae Curiae, Sorrenti, 1906.

157. Institutio. — Inutile est insistere in quaestione de origine Cancellariae apostolicae. Quoad substantiam retrahenda est evidenter ad prima tempora ecclesiae, necessitate ipsa rerum ita exigente. Quoad nomen, ipsum non est proprium iuris nostri, quum a civili iure et aula fuerit desumptum. Iam in codice Iustinianeo habemus titulum de assessoribus et domesticis et cancellariis iudicum (I, 51).

Multa alia huiusmodi afferri possent; qui haec videre cupit, adeat Du Cange Glossarium sub v. Cancellarii. Iuxta Moroni (Dizionario, ecc., v. Cancelleria della s. Romana Chiesa) habemus iam seculo sexto cancellarios, qui hoc nomine publicis actibus subscribunt.

158. Constitutio. — Cancellaria apostolica, annis et seculis sibi succedentibus, varias passa est mutationes. Martinus V multa officia Cancellariae primus instituit, multa etiam officia *vacabilia* induxit Sixtus V. Eorum, qui vacabilia ista officia obtinebant, plura etiam collegia habita sunt, de quibus antiquiores scriptores loquuntur, et quae recenset Moroni (loc. cit.). Sixtus V constitutione sua " Quum sanctae „ 3 apr. 1590 quaedam ex officiis vacabilibus tribuit Vicecancellario, ut nempe eorum pretium in eius bonum cederet, et sunt officia regentis Cancellariae (quod deinde Laurentius Corsini postea Clemens XII sibi emit triginta millibus scutatis), sex regentium maiorum gratiae, sex minoris, quindecim minoris praesidentiae abbreviatorum, vigintiquinque sollicitatorum, duodecim notariorum auditorum causarum sacri palatii et alia. Has facultates et liberalitates in Vicecancellarium revocavit postea Innocentius XI constitutione " Divina disponente „ XIX kal. ian. a. 1679, voluitque ut dictorum officiorum venditio in emolumentum cederet Camerae apostolicae. Sed paullo post Alexander VIII constitutione sua " Creditae nobis „ id. mart. 1690 de consilio particularis cuiusdam Congregationis specialiter deputatae ea restituit Vicecancellario in personam pronepotis sui Petri Ottoboni. Post occupationem Status ecclesiae per Napoleonem I, quum Pius VII anno 1814 Romam rediit, invenit Pontifex numerosissima vacabilistarum collegia ad paucos tantum redacta esse, quum plures concessissent gubernio gallico redemptionem vacabilium officiorum, quae possidebant, mediante aliqua pecuniae solutione seu numeratione. Exinde non fuit difficile Pontifici constitutionem suae Cancellariae

reformare. Reduxit itaque Pius VII officia cancellariae ad sequentia, scilicet ad Vicecancellarium S. R. C. et summistam; ad regentem cancellariae; nec non ad prosummistam seu subsummistam; ad substitutum summistatus; ad plumbatorem; ad notarium secretarium; ad collegium praelatorum abbreviatorum parci maioris cum suo secretario; ad custodem cancellariae; ad substitutum contradictarum; ad registratores bullarum et ad magistros registri.

Nonnulla antiquiora officia iam antea abolita fuerunt, ut ex. gr. officium secretariorum apostolicorum, circa quod habemus constitutionem Innocentii VIII " Non debet „ prid. kal. ian. 1487, constitutionem Pii V " Rom. Pontificis „ 6 maii 1571, et constitutionem Innocentii XI " Rom. Pontifex „ kal. apr. 1678, qua Pontifex collegium suppressit et omnia emolumenta Camerae assignavit.

159. — Post constitutionem nostram praeter Cancellarium et regentem nec non protonotarios apostolicos de numero, ad quos ex ipsa constitutione translatum est munus subscribendi apostolicas bullas (1), manent in cancellaria apostolica sequentes tantum officiales, adiutor scilicet studii, notarius secretarius, qui et archivii custos est, tabularum seu protocolli custos et quatuor scriptores.

160. — Vicecancellarius, qui ex dispositione constitutionis nostrae iam Cancellarii nomen habet, est primus inter cancellariae officiales. Imo ipse est, qui officialibus omnibus praeest.

Relinquo quaestionem nominis, quod hucusque a seculo saltem duodecimo Vicecancellarii nomen erat, circa quam tot dicta et scripta sunt, quae iam a card. De Luca

(1) Ad tempus, quousque protonotarii apostolici de numero munus bullas subscribendi non assument, quinque alii praelati ad hoc praestandum designati sunt.

(loc. cit., disc. X, n. 2) simplicitates et fabellae vocantur. Unum adnoto, card. De Luca, postquam retulit simplicitates et fabellas plures ab aliis conscriptas, haec addidisse: " His autem ac similibus divinationibus vel fabellis alia addi posse mihi videretur deducta a praxi insinuata discursu praecedenti, quam actualiter habemus in Datario et quandoque in Secretario brevium vel alio simili munere, quod scilicet quando exercetur per praelatum vel clericum, qui maiori cardinalitia dignitate praeditus non sit, appellatur datarius, quando vero per cardinalem, dicitur prodatarius; ergo istud adiectum, quod partes vicarias denotat, non semper statum inferiorem importat, sed potius dignitatem, ut dicto discursu praecedenti ponderatur „.

161. — Quoad auctoritatem et munus Cancellarii notandum est ipsum maximi fuisse momenti, ita ut Moroni (loc. cit.) narrans exsequias, quae peractae sunt in morte Alexandri Farnesii vicecancellarii et vaticanae basilicae archipresbyteri dicat ex Campini (De solemni funebrique pompa, quae in cadavere vicecancellarii, dum ad sepulturam defertur, observatur cap. 7°) eum primum esse post Romanum Pontificem (1).

---

(1) Locus Moroni est sequens: " Dice pertanto l'Alaleona (nella relazione delle esequie del Card. Farnese) che il cadavere di lui, vestito pontificalmente, fu esposto nell'aula della Cancelleria, ove si recarono i religiosi a cantare l'ufficio dei morti, assistendovi 38 cardinali in cappa paonazza, e che dopo l'ufficio i canonici di S. Lorenzo in Damaso consegnarono il corpo del defunto a quelli di S. Pietro per essere loro arciprete, venendo trasportato sopra letto coperto di panno aurato alla chiesa del Gesù dal defunto fabbricata. Precedevano le confraternite, gli ordini religiosi, indi diversi sacerdoti ed i capitoli di S. Lorenzo in Damaso e vaticano e poi il letto col cadavere. Seguivano la cavalcata composta del maggiordomo pontificio coi vescovi assistenti al soglio, gli uditori di rota coi loro mantelloni, gli abbreviatori di parco maggiore ed i famigliari del Papa con vesti rosse, mentre quelli del defunto vestiti a

Auctoritas vicecancellarii crevit magis quum Alexander VIII constitutione " Creditae nobis „ id. mart. 1690 voluit, ut duo officia vicecancellarii et summatoris seu summistae in perpetuum unirentur.

Circa officium summatoris conferri etiam possunt constitutio Alexandri VI " In eminenti „ X kal. oct. 1500, qua Pontifex hoc officium instituit, et constitutio Pii V " Pontifice dignum „ VIII kal. iun. 1570, qua Pontifex inter alia statuit, ut officium summatoris cardinali semper committeretur.

Non videtur hic immorandum, spectata praesertim maxima immutatione, quae per constitutionem nostram in officio cancellarii inducta est, in explicandis muneribus, quae cardinali vicecancellario demandabantur in antiqua disciplina, tum qua vicecancellario, tum qua summistae. Qui aliquam notitiam de his velit habere, adeat Moroni (loc. cit., vol. 7, pag. 161 sqq.). Unice hic notandum est post constitutionem nostram abolitum fuisse officium summatoris seu summistae, eo ipso quod abolita est expeditio bullarum *per viam secretam*, ut dicebatur.

Officium, quod cancellario manet in praesenti, est notarium agere in sacris consistoriis et regere totum cancellariae officium.

162. — Notandum autem est, cancellario propter insignem eius dignitatem assignatam fuisse habitationem sub Leone X in palatio Riario, quod exinde cancellariae dictum est. Prius eam habuit in palatio Borgia, quod postea transiit ad familiam Sforza Cesarini et diu retinuit nomen veteris Cancellariae (*Cancelleria Vecchia*). Occasio autem

---

lutto ne circondavano il feretro Innanzi gli uditori di rota cavalcarono due protonotarii partecipanti. Inoltre è da notarsi che gli uditori di rota e gli abbreviatori vi si recarono come addetti al vicecancelliere, poichè alle cavalcate degli altri cardinali non intervenivano „.

translationis haec fuit. Cardinalis Raphael Riario simul cum cardinalibus Petrucci (primo coniurationis auctore) Sauli, Soderini et Castellesi conspiraverat in mortem Leonis X. Comprehensus est et in arcem S. Angeli detrusus eiusque bona fisco seu Camerae apostolicae addicta. Inter haec locum habebat magnificum palatium, quod sibi exstruxerat prope Campum florae. Hoc palatium, quod cardinali Rario suis honoribus restituto concessum denuo fuit, eius vita durante, ad habitationem, quamvis postea ipse Neapolim se receperit, ubi mortuus est die 7 iulii anni 1521, destinatum postea fuit apostolicae cancellariae. Hoc peregit Clemens VII constitutione sua " Etsi ad singula „ 5 iun. 1532, qua simul statuit, ut in posterum vicecancellarius non solum in eo palatio habitaret, sed simul diaconiam S. Laurentii in Damaso sibi assumeret, qui proinde subiectam sibi in perpetuum haberet eam ecclesiam una cum dignitatibus, canonicis et aliis ecclesiis ab ea dependentibus. Hinc factum est, ut, succedentibus sibi in munere vicecancellarii, cardinalibus aliquando diaconis, aliquando presbyteris, aliquando etiam episcopis suburbicariis, ecclesia illa fixum gradum non haberet, sed aliquando esset diaconia, aliquando titulus presbyteralis, prout cardinalis vicecancellarius ex ordine esset diaconorum ant presbyterorum. Quando autem contingebat, quemadmodum etiam nunc contingit, ut cardinalis vicecancellarius esset episcopus suburbicarius, ipse eam ecclesiam retinebat et retinet in commendam.

163. — Post cardinalem vicecancellarium, nunc cancellarium, proxime venit cancellariae regens. Munus regentis initium habuit anno 1377, quum Gregorius XI (Petrus Roger) ultimus ex Gallia Pontifex, ecclesiae magis quam Galliae addictus, relicta Gallia, Romam se contulit, quamvis infirma semper et aegra valetudine uteretur, Catharina Senensi eum in primis hortante, in quam urbem magno Romanorum plausu ingressus est die 17 ianuarii

anni 1377. Itali erga eum haud grato admodum animo usi sunt, et Gregorius, postquam Anagnia, quo se reduxerat, Romam iterum venerat, nondum quinquagenarius diem obiit supremum die 27 martii 1378. Quum igitur Pontifex Avenionem reliquit, cardinalis vicecancellarius, qui tunc temporis erat Petrus de Montéruc, noluit simul cum Pontifice venire Romam, sed Avenione mansit. Gregorius proinde Romae designavit Bartholomeum Prignano arch. Barensem, qui, absente vicecancellario, eius munus expleret sub nomine regentis cancellariam. Mortuo Gregorio XI suffectus ipsi est ille ipse Bartholomeus Prignanus, cui ipse commiserat munus regentis cancellariam, et qui ultimus fuit inter romanos pontifices, qui ad Petri cathedram extra collegium cardinalium exsistens evectus est, et nomen assumpsit Urbani VI. Is novum cancellariae regentem, manente adhuc vicecancellario extra Romam, constituit. Idem fecerunt Pontifices successores etiam tunc, quum vicecancellarius Romae iterum residentiam suam habuit.

164. — De aliis cancellariae officialibus non iuvat hic singillatim agere. Sufficiat aliquid innuere de officio plumbatoris *(piombatore)*, de qua nulla fit amplius mentio in citato indice praepositorum et officialium romanae curiae, sed quod adhuc permanere audivi. Antiquitus multi fuerunt *plumbatores bullarum apostolicarum*. Moroni (loc. cit.) ex Novaes (Vita d'Innocenzo VIII) dicit Innocentium VIII eos constituisse in collegium, quod vigintiquique membris constabat, quorum officium erat venale, et quibus ius erat exigendi plures taxas ab iis, quibus bullae dabantur. Cura autem materialis apponendi bullis sigillum, ordinarie plumbeum, ex quo isti officiales plumbatores dicti sunt, demandata erat duobus fratribus laicis cisterciensibus, quibus nomen erat fratres barbati, fratres de bulla, fratres de plumbo, fratres plumbi. Horum maxima qualitas ea esse debebat, iuxta quosdem, ut legere

nescirent, unde analphabeti quoque dicti sunt. Cuius ratio dicitur fuisse, ut bullas, quibus sigillum debebant apponere, legere non possent, et sic ea quae in ipsis continebantur, non cognoscerent (1). Exinde dicit Moroni (loc. cit.), factum esse, ut laici, qui postea in hoc munere ipsis successerunt, in processione Corporis Domini habitum laicorum cistercensium deferrent. In prima autem congregatione, quam cardinales mortuo pontifice habebant, fratres de plumbo plumbeum sigillum frangebant.

165. — His aliquid addendum de abbreviatoribus. Abbreviatores igitur ex eo dicti, quod litteras apostolicas scribere debebant utentes in hoc *breviaturis* solitis iuxta stylum cancellariae, instituti sunt a Pio II et constituti in collegium. Eos sustulit Paulus II, statuta lege ut abbreviatoribus quorum officium vacabile erat, emolumenta restituerentur. At variis ex circumstantiis factum est, ut restitutio haec impossibilis fuerit. Hinc Sixtus IV constitutione " Divina aeterna „ III id. ian. 1478 collegium restituit, disponens ut abbreviatores essent septuaginta duo, quorum duodecim de parco maiori (parcus vocabatur locus cancellariae, in quo convenientes residebant; dicti etiam sunt de maiori residentia ant praesidentia), viginti duo de minori, reliqui vero examinantes litteras in prima visione. Poterant autem esse etiam laici et uxorati. Ipsis Sixtus IV multa privilegia concessit, quae postea auxit Leo X constitutione " Summi bonorum „ XVIII kal. aug. 1506 et Paulus V constitutione " Romani Pontificis „ kal.

(1) " Furono chiamati anche inalfabeti (fratres de plumbo) per essere idioti e vuolsi che si richiedessero illetterati acciocchè non potessero leggere le bolle; per cui anche oggidì in Cancelleria suol domandarsi ai piombatori, se sanno leggere. Perciò, quando Bramante fu fatto frate del piombo, fu interrogato come andavano le cose sue, ed egli rispose: — benissimo, poichè la mia ignoranza mi fa le spese —, sebbene fosse anche poeta, cosmografo e di grande ingegno „. Ita Moroni, loc. cit.

iul. 1605 nec non Urbanus VIII (cuius tamen bulla quoad hoc desideratur) et Clemens X, qui constitutione " Creditae nobis „ 30 aug. 1670 privilegia ab Urbano collata confirmat. Benedictus tandem XIV concessit abbreviatoribus redimiculum galeri coloris violacei constitutione " Maximo ad labores „ 13 sept. 1740. Iam inde a multo tempore remanserant tantum abbreviatores de parco maiori, extinctis aliis. Constitutio nostra omnes sustulit abbreviatores, quibus in munere subscribendi litteras apostolicas suffecit protonotarios apostolicos participantes de numero.

166. Competentia. — Relicta expositione eorum, quae cancellaria apostolica hucusque exercuit, circa quod videri possunt praesertim Riganti in suo insigni opere " Commentaria in regulas etc. Cancellariae apostolicae „ (Comm. in reg. 72) et card. De Luca in sua " Relatio romanae curiae forensis „ (disc. cit. X) ad innuendum hodiernum munus istius officii curiae sufficiat referre ea, quae in nostra constitutione habentur. Sunt autem:

Huic officio praesidet unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui posthac Cancellarii, non autem Vice-Cancellarii, nomen assumet. Ipse iuxta pervetustam consuetudinem in sacris Consistoriis, ex officio, notarii munere fungitur.

Ad Cancellariae officium in posterum hoc unum tamquam proprium reservatur munus, Apostolicas expedire litteras *sub plumbo* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novarum dioecesium et capitulorum institutionem, et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis.

167. Modus procedendi. — Quum praecipuum cancellariae munus fuerit semper expeditio bullarum pontificiarum, ad indicandum eius modum procedendi, aliquid de bullis innuendum est.

Porro litterae apostolicae nunc in forma solemni seu bullae, nunc in forma minus solemni seu brevis solent expediri.

168. — Bullae, quae sunt igitur litterae pontificiae in solemni forma expeditae, in cancellaria apostolica regulariter conficiuntur. Nomen accipiunt a sigillo *(bullo)* ipsis adhaerente. Adhaeret autem sigillum litteris ipsis funiculo diversi coloris et diversae etiam materiae. Color funiculi est albus, quando agitur de collatione episcopatuum aut beneficiorum maiorum, est autem flavus et ruber (ex diversis scilicet funiculis intextis) in bullis, quae respiciunt absolutionem a censuris ant collationem beneficiorum, quae S. Sedi reservata sunt. Funiculum autem est intextum ex serico et cannabino, coloris autem flavi et rubri, quando bulla confert beneficia minora. In bullis vero pro dispensationibus matrimonialibus funiculum ex integro cannabinum est. Aliquando funiculum est ex argento et auro intertextis filis. Hoc locum habet, quando bulla munitur sigillo aureo, et hoc accidit praesertim quum bulla, in qua tamen non agatur de dispensatione matrimoniali, dirigitur ad fratres vel nepotes regum. Ultima bulla aureo sigillo munita, quam cancellaria expedivit, fuit, teste Grimaldi (loc. cit., c. 25) ex Moroni, bulla promotionis Iosephi Raineri cardinalis Austriaci archiducis et Francisci I imperatoris fratris in archiepiscopum Omolucensem anno 1819.

Praeseferunt bullae nomen Pontificiis, cui additur praedicatum " Servus servorum Dei „. Scribebantur autem bullae charactere teutonico seu longobardico, qui tamen in characterem latinum immutatus est ex praecepto Leonis XIII 29 dec. 1879. Iste Pontifex alias etiam induxit immutationes in confectione bullarum; abrogavit enim pro plerisque bullis sigillum pendens, quod unice retinendum voluit in bullis maioris momenti, ut in bullis fundationis, divisionis ant collationis episcopatuum. In aliis bullis sigillo pendenti substituit impressionem sigilli rubei coloris cum imaginibus SS. Petri et Pauli et superscriptione nominis Pontificis regnantis.

Bullae, quae in consistorio cardinalium eduntur et a Papa et cardinalibus subscribuntur in negotiis maioris momenti, dicuntur bullae consistoriales.

Bullae autem dimidiae vel dimidiatae dicuntur bullae, quas Papa nondum coronatus emittit. Circa eas habemus constitutionem Innocenti III " Ne promotionis „ III non. aug. 1198, qua Pontifex praecipit ut bulla, etsi dimidia, exsecutioni mandetur, non secus ac si bulla integra missa fuisset. Idem postea fecit Nicolaus IV constitutione " Ex parte „ XII kal. sept. 1289.

169. — Brevia vero sunt constitutiones breviores in negotiis minoris momenti charactere italo seu communi in membranis albis conscriptae et a Card. Secretario brevium subscriptae, quae muniuntur sigillo referente b. Petrum in actu piscationis.

170. — Quoad modum expeditionis notandum est bullas expediri solere sive *per viam curiae,* sive *per cancellariam,* sive *per viam secretam,* sive *per viam camerae.* Ex variis autem formis, quibus concipiuntur, vocantur vel *in forma gratiosa* simplici vel *in forma gratiosa tribus iudicibus*, vel *in forma commissoria*, vel *in forma dignum,* vel *in forma rationi congruit.*

Per *viam curiae* expediuntur bullae, quas Papa motu proprio iubet expediri, et quae universum catholicum orbem concernunt. Quum Romanus Pontifex bullis numquam subscribat, iis exceptis, quae de canonizatione sanctorum eduntur, quibus tum Pontifex tum omnes cardinales in curia praesentes subscriptionem suam apponunt, bullae, quae per viam curiae expediuntur, subscribebantur a cardinalibus pro-datario et secretario brevium. Nullas solvebant taxas hae bullae collegiis vacabilistarum.

Per *cancellariam* sunt bullae communes, quae revidebantur ab abbreviatoribus parci maioris, et subscribebantur ab ipsis et a vacabilistis, quibus taxae solvebantur statutae.

Per *viam secretam* eae dicebantur expediri, quae in favorem dabantur quorumdam privilegiatorum, quales erant ex. gr. praelati palatini, auditores rotae, consanguinei cardinalium. Eximebantur a taxis et subscribebantur a cardinali vicecancellario.

Per *viam de camera* eae expediebantur, quae respiciebant negotia pertinentia ad Cameram apostolicam, et quibus proinde non poterant aptari regulae et stylus cancellariae. His bullis expediendis Alexander VI instituit officium summatoris seu summistae.

In *forma gratiosa* expediebatur bulla provisionis beneficii, quae novo beneficiato mittebatur directe.

In *forma gratiosa tribus iudicibus* sunt eaedem bullae, non beneficiato ipsi, sed aliis tribus directae, qui novum beneficiatum immittant in possessionem beneficii.

In *forma commissoria* sunt bullae episcopo aut eius vicario directae, ut beneficium aliquod alicui conferant, quibusdam prius verificatis.

In *forma dignum* ex primis verbis bullae eae dicuntur, quae episcopo dantur ut beneficium alicui conferat, postquam ei per examen constitit ipsum dignum esse, cui beneficium illud conferatur.

In *forma rationi congruit* eae sunt, et tales dicuntur ex primis bullae verbis, quae a Pontifice successore expediuntur circa gratiam ab antecessore signatam.

171. — Haec quidem referunt antiquum procedendi modum. Post constitutionem nostram res immutatae non parum sunt, ut constat ex sequentibus praescriptionibus, quae in eadem constitutione habentur:

Unus erit earum expediendarum modus, hoc est per *viam Cancellariae*, iuxta normam seorsim dandam, sublatis iis modis, qui dicuntur per *viam secretam, de Camera* et *de Curia*.

Expedientur memoratae litterae seu *bullae* de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad eius iurisdictionem

spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alia negotia, servatis ad unguem in singulis casibus ipsius mandati terminis.

Suppresso collegio Praelatorum, qui dicuntur *Abbreviatores maioris vel minoris residentiae*, seu *de parco maiori vel minori;* quae ipsius erant munia in subscribendis apostolicis bullis transferuntur ad collegium Protonotariorum Apostolicorum, qui vocantur *participantes de numero.*

His omnibus adde illud, quod in eadem constitutione habemus, scilicet abolitum fuisse antiquum usum cancellariae datandi litteras apostolicas ab incarnatione dominica, scilicet a die 25 martii, et statutum esse ut in omnibus apostolicis litteris, etsi eae expediantur a cancellaria, initium anni ducatur a kalendis ianuariis.

§ 2. — De Dataria apostolica.

Amydenus, De officio et iurisdictione Datarii nec non de stylo Datariae. — Macanar, Pedimento sobre abusos de la Dataria, Madrid, 1841. — Chiari Andr., Memoria giuridico-storica sulla Dataria, ecc., Roma 1900. — An., Die Vacabilia d. päpstl. Kanzlei u. d. Datarie, im Arch. f. k. KR. LXXXII (1902) 163-165.

172. Institutio. — Incertum omnino est, quo tempore dataria exsistere inceperit tamquam officium ab aliis distinctum; sed a vero aberrare videntur ii, qui remotissimum quoddam tempus ad hoc assignant. (Inter hos est praecipue Amydenus de stylo datariae, etc.). Nam, ut bene advertit De Luca (loc. cit., disc. IX), negotia, quae postea hucusque pertractavit dataria, vel ab aliis officiis aut tribunalibus acta fuerunt, ut concessio dispensationum matrimonialium, quae usque ad tempora Pii IV concedebantur per organum poenitentiariae (De Luca, loc. cit., n. 8), vel recentiora sunt, ut collationes beneficiorum reservatorum. Huius enim reservationis vestigium quidem aliquod reperitur iam ante seculum duodecimum, sed nonnisi aetate Inno-

centii II (1130-1143) et successorum pontificum saepius in praxim reservatio inducta est, quousque postea Clemens IV anno 1265 insistens antiquae consuetudini lege universali statuit beneficia vacantia in curia romana propter mortem beneficiatorum ibidem secutam reservata esse collationi Rom. Pontificis (c. 2 de praeb. et dignit. III, 4 in 6°): cuius Pontificis exemplo alii postea, ut praesertim Clemens V, Ioannes XXII, Benedictus XII, Clemens VI, Urbanus V alias induxerunt reservationes.

Certe tamen iam seculo 14° dataria apostolica suam habebat distinctam exsistentiam.

173. Constitutio. — Officium principale in Dataria obtinet unus ex cardinalibus, cui pro datarii nomen hucusque datum, post constitutionem vero nostram datarius nuncupatur. Pro datarius, ut videtur, appellabatur propter eamdem rationem, ex qua, ut diximus, cardinalis, cui commissum erat regimen cancellariae, dicebatur vicecancellarius. Ratio autem nominis datarii a quibusdam in eo invenitur, quod datationem apponat gratiis et indultis pontificiis, ab aliis autem in eo, quod gratias, de mandato Pontificis, dispensationes, indulta etc. concedit seu *dat.* Tanta fuit excellentia huius cardinalis, per quem omnes pontificiae gratiae concedebantur, ut *oculus Papae* dictus fuerit.

Post Prodatarium, nunc autem datarium, venit subdatarius, qui unus est ex praelatis curiae et datarium iuvat et supplet fere in omnibus.

174. — Habebantur antiquitus post hos, usque tamen ad nostra tempora, officiales plures, nominibus distincti valde aenigmaticis, ut dicit De Luca (loc. cit.) et erant praefectus officii per obitum, praefectus concessarum *(prefetto del concessum)*, administrator generalis componendarum, arcarius earumdem *(cassiere delle componende)*, praefectus datarum *(prefetto delle date)*, censor matrimo-

nialium *(revisore delle matrimoniali)*, censores petitionum beneficialium duo *(revisori delle suppliche beneficiali)*, officialis de missis *(officiale del missis)*, substitutus praefecti per obitum, officialis brevium, substitutus censoris matrimonialium, censor computationum expeditionum *(revisore dei conti delle spedizioni)*, scriptor bullarum de via secreta, custos supplicationum et tabularum bullarum *(custode delle suppliche e del registro delle bolle)*, officialis pro collatione transumptorum bullarum et brevium, notarius pro processibus promovendorum ad cathedrales et alii officiales minores, nec non officiales speciales pro expeditione bullarum per viam de curia, et aliquot theologi examinatores concursuum ad parochias. His omnibus addendi erant plures apostolici expeditores, qui vocabantur.

175. — Iam ante constitutionem nostram haec datariae ordinatio abolita fuerat et in faciliorem ordinem magisque aetati nostrae consonum redacta. Constitutio nostra, quae multa innovavit circa ipsum datariae munus, antiquam hanc officiorum distributionem penitus sustulit. Nunc non habemus, praeter cardinalem datarium et subdatarium, nisi unum praefectum cum suo substituto, aliquot officiales, arcarium, qui simul et diribitorem agit, revisorem bullarum et duos bullarum scriptores, servatis theologis examinatoribus concursuum.

176. Competentia. — Ad iudicandam competentiam antiquae datariae haec habet De Luca (loc. cit., n. 4): " Negotia, quae per organum datarii a Papa explicantur, reducuntur ad dictam formam litterarum apostolicarum expediendarum per diversum organum cancellariae cum subscriptionibus (pro negotiorum diversa qualitate) vicecancellarii aliorumque cancellariae officialium, non autem datarii eiusque officialium, quorum munus est solum circa supplicationes originales, in quibus gratiae per Papam

concessae contineantur; et ex quibus postquam per omnia datariae organa legitime transierunt, adeo ut perfectae et authenticae matrices dici valeant, vicecancellarius eiusque officiales, litteras solemnes, quae bullae vulgo dicuntur, conficiunt, tamquam per speciem publici instrumenti, quod in publicam formam probantem a matrice seu ab originali imbreviatura in forma magis lata et solemni per notarium redactum sit, ut partibus tradatur ad probationem et exsecutionem „. Quare, ut bene advertit Moroni (op. cit. v. Dataria apostolica) et approbat Lega (de iudiciis, lib. I, vol. II, n. 253), Dataria appellari potest officium gratiae concessae, cancellaria vero officium gratiae expeditae.

Gratiae autem, quae a dataria concedebantur, plurimae erant, praeter concessionem beneficiorum non consistorialium et dispensationum ab impedimentis matrimonialibus, quae erant praecipuae eius partes. Sufficiat quoad hoc quaedam referre ex iis, quae Benedictus XIV praefinivit in constitutione sua " Gravissimum „ 26 nov. 1745, quam ipse dedit in eum finem, ut statutis iam per constitutionem " Romanae curiae „ XII kal. ian. 1744 limitibus iurisdictionis diversorum tribunalium, eosdem certos limites constitueret, " intra quos ea quoque officia se in posterum continere debeant, quibus demandata est expeditio gratiarum, quae de Apostolicae Sedis liberalitate tam in universos christifideles quam in subditos ditionis nostrae populos, assidue diffunduntur „, et praesertim ad signandos limites competentiae inter datariam et secretariam brevium. Porro postquam Pontifex plura enumeraverit exclusive demandata Secretariae brevium, ea enumerat, quae utrique officio communia sunt, scilicet " confirmationes contractuum, statutorum, privilegiorum, ordinationum, concordiarum et transactionum tam in forma communi quam in forma specifica, absolutiones cum dispensationibus ad ordines super irregularitate proveniente ex defectu corporis vel ex delicto, non tamen homicidii in statu ecclesiastico

commissi, confirmationes decreti iudicis, derogationes statutorum urbis Spoletanae et aliarum civitatum super excessu dotis, dispensationes super praemissis irregularitatibus cum praedictis restrictivis, extra tempora tam pro Italia quam pro ultramontanis; erectiones confraternitatum, indulta medendi et exercendi chirurgiam, indulgentiae perpetuae pro confraternitatibus, licentiae transeundi ad ordinem strictiorem, licentiae se immiscendi in criminalibus et restitutiones adversus lapsum quinquennii „. Et praeterea addit: " Demum concessiones et gratiae, quarum expeditio iuxta relatum elenchum datariae apostolicae privative quoad secretariam praedictam reservatur, sunt generaliter quaecumque aliae concessiones et gratiae in superioribus non comprehensae nec expressae, et signanter illae omnes, in quarum expeditione, de stylo et consuetudine immemorabili, solvenda est compositio in dataria aut taxa cancellariae sive iocalium „.

177. — Haec quidem sufficiant ad indicandam antiquam datariae amplissimam competentiam, quae tamen constitutione nostra in pluribus restricta est. Limites autem, intra quos ea nunc continetur, exprimuntur clarissime in constitutione ipsa sequentibus verbis:

Ad Datariam in posterum hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de idoneitate eorum, qui optant ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata; conficere et expedire Apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera, quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

178. Modus procedendi. — Quum datariae apostolicae fiebant gratiarum petitiones, eae ante omnia discutiebantur in ea, quae dicebatur, datariae congregatione, et constituebatur cardinali datario, subdatario et officiali per

obitum, qui, ut dicit De Luca, solebat assumi ex ordine procuratorum seu expeditorum datariae, ut negotiorum datariae practice esset peritissimus. In hac congregatione datarius cum voto consultivo subdatarii et officialis per obitum distribuebat singulas petitiones variis datariae officialibus, ut ab ipsis secundum datariae stylum conficerentur supplicationes Pontifici praesentandae. Haec congregatio resolvebat etiam omnes quaestiones, quae exoriebantur circa collationes et resignationes beneficiorum, circa dispensationes matrimoniales et alia negotia. Datariae congregatio quotidie mane habebatur in domo cardinalis datarii. Post reformationem inductam a Leone XIII in constitutione datariae congregatio haec ex aliis personis constituta est, et non amplius quotidie habita.

Supplicatio iuxta stylum Datariae ab officialibus confecta ad Pontificem deferebatur, qui, si gratiam concedere volebat, apponebat ad calcem petitionis unam ex formulis sequentibus: *Fiat, ut petitur; Fiat, motu proprio; Placet* (1), et postea supplicationem signabat littera initiali nominis sui baptismalis vel si regularis erat, qui in professione nomen ipsum baptismale in aliud immutaverat, littera initiali nominis suae professionis. Quum autem supplicationes huiusmodi de stylo datariae duas haberent partes, quarum prima narrativa erat, altera vero respiciebat modum exsecutionis et clausulas apponendas, clausulae supra indicatae apponebantur tantum primae parti, non autem secundae, cui apponebatur tantummodo *Fiat* aut *Placet,* addita signatione nominis, prout supra dixi.

" Quia vero, ait De Luca (loc. cit., n. 36), nimis incommodum ac taediosum esset, ut Papa negotiorum tanta multitudine pressus cogatur manu sua signare ac singu-

---

(1) Moroni quoad hoc refert sequens distichon Iacobi Gherardi sub Paulo II:

> Taedia dat doctis paupertas plurima. Tolle
> Taedia nostra, Pater, per Fiat ut petitur.

lariter recognoscere omnes supplicationes, etiam super illis gratiis levioribus vel minoribus, quae de stylo omnibus concedi solent ac nemini denegari; hinc proinde..... ex quadam generali delegatione ipsius Papae datario, eo ipso quod huic videatur, quod gratia concedi possit vel debeat, supplicationes per eum aliosque officiales ac revisores recognitae vel respective recognoscendae, pro negotiorum diversa qualitate, nomine Papae signantur per quemdam officialem in forma *concessum*, quod scilicet dicitur concessum per Dominum Papam, tamquam per viam attestationis.

Secuta autem signatione gratiae per manum Pontificis, non ideo statim censetur perfecta, sed plura adhuc requiruntur, quae adeo clare a De Luca exponuntur, ut perspicuitatis gratia eius verba etiam hic referenda existimem. Dicit igitur (loc. cit., n. 23): " Signatis supplicationibus manu Papae, Datarius ad proprias regrediens mansiones, in eadem die, vel in altera prout sibi pro negotiorum qualitate opportunum videatur, datam adiicit, quam aliquando ex superventis melioribus informationibus negare solet ac potest, unde propterea supplicatio, quamvis signata, inanis remaneat. Secuta vero data, supplicationes illorum negotiorum, pro quibus componenda solvatur, transeunt per manus illius, qui componendae officialis vel administrator sit, ne alias illorum negotiorum expeditio sequi valeat, deindeque istae ac aliae, in quibus hic officialis se non ingerit, per organum cuiusdam alterius officialis, qui *missis* dicitur, transeunt per manus aliorum duorum officialium, qui sint huiusmodi negotiorum valde practici, et qui primo, scilicet unus, deindeque alter, omnes supplicationes revident, ideoque nuncupantur primus et secundus revisor; istique easdem supplicationes, quamvis signatas et datatas, in plerisque corrigunt ac reformant, clausulas addendo vel minuendo et pleraque etiam cancellando seu interlineando, etiam ea, quae narrari debent pro validitate gratiae, sed pro stylo incongruum reputatur

enarrari in litteris desuper expediendis. Et postquam per istos approbatae et correctae sint, transeunt ad manus alterius officialis, qui registrator seu magister registratorum dicitur, isque eas bene recognitas, quod scilicet per manus ut supra transierint, distribuit registratoribus inferioribus, qui eas fideliter registrant in libris seu registris bene ordinatis, quae in tempora in apostolico archivio reponi solent; aliique adsunt officiales et praesertim ille parvae datae, quidam particularis revisor dispensationum matrimonialium, qui gerit eas partes in hoc gratiarum genere super revisione ac reformatione supplicationum, quas generaliter dicti alii revisores gerunt. Per hunc autem registrationis actum sequi dicitur omnimoda gratiae perfectio adeo ut ius quaesitum dicatur gratiato, non autem prius, dum antequam ista perficiatur, gratia esse dicitur potius in via quam in termino „.

179. — Ceterum praxim antiquae datariae exponere haud facile est, quum omnia fere traditionibus regerentur (1). Quod quidem non a Pontificibus factum, sed ab eorum officialibus, multam ipsis officialibus afferebat utilitatem, ecclesiae vero nullam, Pontificibus vero ipsis seu camerae apostolicae damnum non spernendum. Sic enim plura conservabantur officia, quae necessaria non erant, eaque committebantur saepe filiis et nepotibus officialium, qui quasi quoddam monopolium illius praxeos sibi effecerant. Quae omnia Leo XIII removere incepit; constitutio autem nostra feliciter ex toto sustulit.

Ad quod optime conduxit alia saluberrima dispositio constitutionis nostrae, quae continetur in Normis commu-

(1) Refert Moron. (loc. cit.) Octavianum Vestrium scribentem ad Iacobum Pelleum haec dixisse: " Io credo inaccessibile la prassi della così detta curia graziosa, e così furono meco acerbi ed inumani quei seniori, che non solo non mi esternarono i principii, ma giammai li hanno pubblicati ritenendo sempre ascosi cotali tesori „.

nibus, cap. 8° de ministris expeditionum, ubi dicitur: " Privilegium exclusivae, quo apostolici ministri expeditionum *(Spedizionieri apostolici)* in datariae officio fruuntur, ubi primum habere vim ceperit constitutio *Sapienti consilio*, cessabit „.

180. — Praxis autem hodiernae Datariae probe indicatur in Normis peculiaribus, cap. IX, art. 2, ubi haec habentur:

Ob inductam a Const. *Sapienti consilio* novam ordinationem Datariae Apostolicae hoc relinquitur munus, quod in beneficiorum non consistorialium collatione versatur. Atque in hoc etiam Officio sunt retinendae normae huius legis in iis, quae ipsum attingant.

In collatione beneficiorum ea ratio servabitur, quam praesens lex et vigens usus praestituunt, cauto tamen ut hic cum novis praescriptionibus memoratae Constitutionis cohaereat, donec, reformatis Cancellariae Regulis, aliter provideatur.

Bullae collationis prima praescriptio (*minuta*) fieri debebit ab uno adiutore, et loco erit veteris, uti vocant, *supplicationis;* eaque in actis servabitur ad cautionem et recognitionem, si qua forte inciderit impugnatio.

Nihil immutatur in invecto usu providendi nonnunquam beneficiis per decretum *simplicis signaturae*, hoc est nullis Bullis expeditis.

Subscribetur Bullis a Cardinali Datario, eoque impedito, a Cardinali a publicis negotiis seu *a secretis Status*, contra posita subscriptione illius officialis, qui primus ordine temporis post Datarium sit et in officio adsit.

Curabit praeterea Dataria ut imponantur et exigantur pensiones et onera beneficiis Urbis adnexa, ad arcam pensionum, quam vocant, pertinentia. Quare officialis distributor exiget solvendam ab iis pecuniam, qui oneribus aut pensionibus graventur; ac deinde ius habentibus ad pensiones aliave emolumenta debitis modis satisfaciet.

Trimestri quoque spatio Cardinalis Datarius, aut eius vice alius arcae statum explorabit, supputatisque rationibus, suae auctoritatis testimonium adscribet.

§ 3. — De Camera apostolica.

Gomes Lud., In constitutiones camerae apostolicae, Paris., 1546. — Bucca Io. De stylo curiae auditoris camerae, Romae, 1561. — Mandosius, Glossa facultatum regentis in locum auditoris camerae suffecti, Venet., 1576. — Massa Ant., Ad formulam cameralis obligationis, Romae, 1607. — Zotto Alph., Comment. ad constit. Cam. Apost., Romae, 1846. — Gottlob A., Aus der Camera Apostolica des 15 Jahrh., Innsbruck, 1889. — Kirsch I. P., Die päpstlichen Kollektorien in Deutschland während des 14 Jahrhunderts, Paderborn, 1894 Mittenberger F., Versuch einer Neuordnung der päpstlichen Kammer in den ersten Regierungsjahren Martins V, 1417-1420, in Römische Quartalschr., s. 393 ff., 1894. — König L., Die päpstliche Kammer unter Clemens V und Johann XXII, Wien, 1894. — Loye, Les archives de la Chambre apostolique au xiv^e siècle, Paris, 1899. — Chiari Andr., Memoria giuridico-storica sulla Dataria, Cancelleria, rev. Camera apostolica, ecc., Roma, 1900. — Kirsch J. P., Die päpstlichen Annaten in Deutschland während des 14 Jahrh., Paderborn, 1903. — Göller E., Zur Stellung des päpstlichen Kamerars unter Clemens VII (Gegenpapst), im Archiv. f. k. KR., LXXXIII (1903), s. 387 ff.

181. Institutio. — Cardinalis camerarius in curia archidiacono successit. Istius officialis mentio iam invenitur exeunte seculo 11°, quando " Domini Papae camerarius „ iam apparet veluti supremus pontificii fisci seu primus bonorum S. Sedis administrator. Magna antiquitus fuit eius auctoritas et amplissimum munus, ad quod exercendum aliquos deputare cepit adiutores seu officiales subalternos, quorum unus dictus est auditor camerae seu camerarii, alter pro immediato gubernio temporalis Urbis dictus est vicecamerarius seu gubernator Urbis, alius pro conservatione et administratione pecuniarium et aerarii, cui proinde thesaurarii camerae nomen datum est. Excrescente autem in dies horum officialium auctoritate, fa-

ctum est ut ipsi Pontifices ad horum nominationem directe devenerint et cum iis de rebus ad eorum munus spectantibus immediate agerent. Quare a Camerarii dependentia sensim sine sensu sublati sunt et camerarii auctoritas ad quamdam honorificam praecedentiam et praesidentiam camerae restricta est. (De Luca, loc. cit., disc. XI, n. 3).

182. Constitutio. — Ut ex dictis patet, camera apostolica constituitur cardinali camerario, vicecamerario, auditore generali, thesaurario generali, quibus accedit collegium clericorum de camera (1).

183. Competentia. — Antiquitus Camera multa habuit munia et officia. Camerario enim concredita erat cura omnium negotiorum respicientium iura pontificii aerarii et temporalis gubernationis statuum ecclesiae romanae. Quare ea omnia, quae respiciebant titulos nobilitatis, taxas, annonam, spolia ecclesiarum vacantium, vias, aquas, nundinas, collegia artium et studiorum, militiam omnemque administrationem ad eius spectabant competentiam. Exinde

---

(1) Quoad hos omnes plures habentur pontificiae constitutiones, quarum praecipuas iuverit hic innuere tantummodo. Sunt autem: const. Urbani V " Apostolatus officium „ id. oct. 1363; const. Urbani VI " Apostolicae camerae „ VI id. sept. 1379; const. Gregorii XII " Apostolicae camerae „ XVIII kal iul. 1407; const Innocentii VIII " Apprime devotionis „ XI kal. ian. 1485; const. Pauli III " Romani Pontificis „ VII kal. dec. 1544; const. Iulii III " Licet ea „ IV id. apr. 1547; const. Pii IV " Providentia „ id. nov. 1560; const. Pii IV " Ad eximias „ kal. mai. 1561; const. Pii IV " Rom. Pontifex „ VIII kal. mai. 1561; const. Pii IV " Inter multiplices „ IV non. iul. 1562; const. Pii V " Inter illa „ XII kal. dec. 1576; const. Sixti V " Rom. Pontifex „ 15 iul. 1590; const. Clementis VIII " Ea romani „ kal. aug. 1596; const. Clementis VIII " In conferendis „ XV kal. ian. 1599; const Clementis VIII " Cum in litteris „ V kal. mart. 1600; const. Innocentii XII " Ad hoc „ X kal. nov. 1692; const. Innocentii XII " Ad romani „ IV id. aug. 1698; const. Benedicti XIII " Rom. Pontifex „ non. nov. 1728; const. Clementis XII " Nuper ad nostram „ 30 ian. 1734.

habebat etiam praefecturam romanae universitatis, vulgo Sapientia. Habuit etiam Camerarius exercitium auctoritatis seu iurisdictionis forensis et contentiosae, quam prius ipse per auditorem suum, postea auditor independenter exercuit a cardinali camerario.

Hanc iurisdictionem, pro sua quisque negotiorum provincia, exercuerunt etiam vicecamerarius et thesaurarius generalis, a cuius sententiis appellari poterat ad plenam cameram. Tribunal autem plenae camerae constituebatur a clericis camerae; et omnia haec tribunalia ordinaria erant. Tribunal autem auditoris camerae non solum ordinarium erat sed competens erat pro universa ecclesia. Cfr. Petra Comm. in const. Ap. ad const. ap. Urb. V, tom. 4, n. 4.

Clerici camerae, quos post varias immutationes, duodecim esse voluit Pius V, constituebant collegium et tribunal, cuius caput de iure erat cardinalis camerarius, de facto autem decanus clericorum. Hi sacerdotes necessario non erant, sed clerici dumtaxat. Diu decertarunt de praecedentia cum auditoribus Rotae, quousque Alexander VII quaestionem diremit assignando in cappella pontificia auditoribus quidem munus subdiaconi, clericis vero munus acolythorum.

In praesenti, quamvis constitutio camerae non fuerit immutata, competentia tamen eius fere ad nihilum est redacta. In constitutione enim nostra haec quoad cameram apostolicam aperte sanciuntur:

Huic Officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur. Ei officio praeest S. R. E. Cardinalis Camerarius, qui in suo munere, Sede ipsa vacua, exercendo se geret ad normas exhibitas a Const. " Vacante Sede Apostolica „, 25 dec. 1906.

Notandum est pro ordinaria administratione bonorum S. Sedis, quorum maxima pars in obolo S. Petri consistit, specialem cardinalium commissionem institutam esse.

§ 4. — De Secretaria Status.

184. Institutio. — Maxime consentaneum est ut in gravissimis ecclesiae et status negotiis Romani Pontificis, quemadmodum seculares principes pro regimine sui status, uterentur opera alicuius, cui maxime fiderent. Hinc introductus fuit mos cardinalium nepotum, qui, quamvis non essent in ordine hierarchico officialium ac magistratuum romanae curiae, erant tamen maximae auctoritatis propter magnum influxum, quem in Pontificem exercebant.

Cardinalibus nepotibus, praesertim post constitutionem Innocentii XII " Romanum decet Pontificem „ 22 iun. 1692, quae nepotismo finem imposuit, feliciter successerunt secretarii status, qui proinde sunt viri, quibus Pontifex maximam suam fidem committit. Hinc est quod, defuncto Pontifice, ipsi a munere cessant. Titulus, quem cardinales nepotes gerebant, scilicet " Secretarius Papae et superintendens status ecclesiastici " idipsum confirmat et explicat.

185. Constitutio. — Ante constitutionem nostram constitutio secretariae Status simplicissima erat. Habebatur enim praeter Cardinalem secretarium unus tantummodo officialis ex maioribus praelatis, qui substitutus dicebatur et simul erat secretarius cifrae (1), praeter nonnullos scriptores et officiales subalternos.

Nunc secretaria Status tripartita est, prout clare explicat ipsa constitutio nostra his verbis:

---

(1) " Cifra, ait Lega (de iudiciis, lib. I, vol. II, n. 232 nota) est methodus quaedam signorum ex conventione adhibitorum ad exprimendos graphice mentis conceptus, ita ut hi percipi non possint nisi ab his, cum quibus secreta conventionalis scriptura conventa fuerit. Haec scriptura adhibetur in negotiis politicis alto secreto premendis „.

Officium hoc, cuius est supremus moderator Cardinalis a *Secretis Status*, hoc est a publicis negotiis, triplici parte constabit. Prima pars in negotiis extraordinariis versabitur, quae Congregationi iisdem praepositae examinanda subiici debent, ceteris, pro diversa eorum natura, ad peculiares Congregationes remissis; altera in ordinaria negotia incumbet, ad eamque, inter cetera, pertinebit honoris insignia quaeque concedere tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis quae Antistiti pontificali domui Praeposito sunt reservata; tertia expeditioni Apostolicorum Brevium, quae a variis Congregationibus ei committuntur, vacabit. — Primae praeerit *Secretarius* Congregationis pro negotiis extraordinariis; alteri *Substitutus* pro negotiis ordinariis; tertiae *Cancellarius* Brevium Apostolicorum. Inter harum partium praesides primus est *Secretarius* Sacrae Congregationis negotiis extraordinariis praepositae, alter *Substitutus* pro ordinariis negotiis.

186. Competentia. — Qua Secretaria Status stricte dicta eius munus est praecipue agere cum imperatoribus, regibus et principibus civilibus seu moderatoribus supremis rerum publicarum sive per Nuntios apostolicos sive per speciales Legatos. Pariter omnis rerum tractatio, quae a S. Sede fit cum repraesentantibus principum seu ipsorum legatis per secretariam vel potius per cardinalem a secretis status peragitur. Negotia autem huiusmodi maiora expediuntur praevia consultatione S. Congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae.

Pariter per Secretariam Status distribuit Pontifex munera curiae suosque officiales eligit.

Nunc autem secretaria Status, qua secretaria brevium, curat expeditionem brevium apostolicorum. Iam seculo 15° vel etiam 14° habitum est collegium quoddam secretariorum apostolicorum, sed secretaria brevium primum obtinuit constitutionem, quam retinuit hucusque, quum Innocentius XI, abolitis officiis venalibus secretariorum apostolicorum, constitutione sua " Rom. Pontifex „ 1 apr. 1678 unum statuit secretarium brevium.

§ 5. — De Secretariis brevium ad principes et epistolarum latinarum.

a) De secretaria brevium ad principes.

187. — Quando Innocentius XI statuit unum secretarium brevium, eadem constitutione statuit quoque secretarium et proinde secretariam brevium ad principes ab altera distinctam. Secretarius iste praelatus est, eiusque munus consistit in conscribendis brevibus pontificiis ad reges, principes aliosque magnae nobilitatis viros. Ipse generatim componit latinas allocutiones, quas Pontifex in consistorio habet, et saepe etiam encyclicas aut litteras apostolicas, quas Pontifex mittit ad episcopos vel ad populum fidelem. Habet sub se duos studii adiutores. Ut ex ipsa ratione officii exigitur, vir est in latinis litteris apprime excultus.

b) De secretaria epistolarum latinarum.

188. — Secretarius litterarum latinarum est etiam praelatus curiae vel cubicularius Romani Pontificis. Eius munus proprie consistit in scribendis litteris, forma scilicet minus solemni, ad reges, principes et alios, ad quos Pontifex, scribere vult. Quum et ipse vir sit peritissimus latinae linguae, Pontifex eius opera saepe utitur ad alios etiam actus latine conscribendos.

Etiam secretario a litteris latinis datur studii adiutor.

Munia harum duarum secretariarum immutata manent post constitutionem nostram.

APPENDIX

De peculiaribus coetibus independentibus

a) De coetu studiis provehendis S. Scripturae.

189. — Coetus studiis S. Scripturae provehendis, seu commissio biblica, institutus est a Leone XIII litteris apostolicis " Vigilantiae „ 30 oct. 1902, postquam Pontifex constitutione " Providentissimus Deus „ 18 nov. 1893 normas dederat sapientissimas pro recto intellectu et studio scripturarum sacrarum.

Scopus istius commissionis clare exprimitur a Pontifice in memoratis litteris encyclicis. " Sed quo facilius, ait Pontifex, res e sententia eveniat, novum quoddam auctoritatis Nostrae subsidium nunc addere decrevimus. Etenim quum divinos hodie explicare tuerique libros, ut oportet, in tanta scientiae varietate tamque multiplici errorum forma maius quiddam sit, quam ut id catholici interpretes recte efficere usquequaque possint singuli, expedit communia ipsorum adiuvari studia ac temperari auspicio ductuque Sedis apostolicae. Id autem commode videmur posse consequi si, quo providentiae genere in aliis promovendis disciplinis usi sumus, eodem in hac, de qua sermo nunc est, utamur. His de causis placet, certum quoddam consilium, sive, uti loquuntur, commissionem gravium virorum institui; qui eam sibi habeant provinciam omni ope curare et efficere ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant, tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflatu sed etiam ab omni opinionum temeritate. Huius consilii praecipuam sedem esse addecet Romae, sub ipsis oculis Pontificis maximi:

ut quae Urbs magistra et custos est christianae sapientiae, ex eadem in universum christianae reipublicae corpus sana et incorrupta huius quoque tam necessariae doctrinae praeceptio influat „.

Constat nunc Commissio quinque cardinalibus et quamplurimis consultoribus. Pius X litt. apost. " Scripturae sanctae „ 23 febr. 1904 ius dedit commissioni conferendi gradus academicos prolytae et doctoris in sacrae scripturae disciplina iis, qui, quibusdam servatis normis et habitis qualitatibus in iisdem litteris determinatis, hoc digni haberentur.

Nunc autem ad praeparandos iuvenes catholicos ad hos gradus, simulque ad eis praestanda catholica studiorum subsidia, " ne cum ingenti sanae doctrinae discrimine ad heterodoxos se conferrent redirentque modernistarum spiritu imbuti „, consilium cepit Pontifex instituendi Romae pontificium institutum biblicum, quod de facto erexit litteris suis " Vinea electa „ 7 maii 1909. Finis autem huius instituti est " ut in urbe Roma altiorum studiorum ad libros sacros pertinentium habeatur centrum, quod efficaciore, quo liceat, modo doctrinam biblicam et studia omnia eidem adiuncta, sensu ecclesiae catholicae promoveat „.

Eisdem litteris adiunxit Pontifex " Leges pontificio instituto biblico regendo „, quinque titulis constantes.

b) De coetu studiis provehendis historiae.

190. — Ortum habuit haec commissio, quum Leo XIII, postquam historiae studiosis S. Sedis tabularia aperuerat, litteras dedit 18 aug. 1883 ad emos. cardinales Antoninum De Luca vicecancellarium, Ioannem Bap. Pitra bibliothecarium S. R. E. et Iosephum Hergenröther tabulariis vaticanis praefectum, quibus eos hortatus est, ut omnem conferrent operam ad inducendos viros probos et doctos ad historiam recte fideliterque scribendam de rebus gestis, praesertim RR. Pontificum, contra fallacias homi-

num, qui historiam infenso in ecclesiam animo conscribunt. In hunc eumdem scopum instituit Pontifex prope archivium ipsum vaticanum specialem palaeographiae atque historiae comparatae scholam, per quam adolescens clerus et solidiorem eruditionem sibi comparare et sanioris criticae exercitiis se excolere posset. Quod fecit litteris datis ad cardinalem Ios. Hergenröther 15 maii 1884.

Commissioni huic sui sunt etiam nunc cardinales et iam inde a pluribus annis secretarius et selecti consultores.

c) Coetus obulo S. Petri administrando.

191. — Coetus hic prima vice apparet in " La gerarchia cattolica anni 1906 sub titulo: " Commissione cardinalizia amministratrice dei beni della Santa Sede „. Constat novem cardinalibus et secretario.

d) Coetus fidei in Urbe praeservandae.

192. — Institutus est a Leone XIII motu proprio " Litteras „ 25 nov. 1902. Opus iam erat inceptum et a Pontifice probatum, ut occurreretur impiorum conatibus, quibus studebant haereticorum errores in ipsam civitatem catholici nominis principem spargere et disseminare. Quum autem in dies crescerent pericula et damna, opus iam inceptum firmiore instituere praesidio statuit Pontifex, peculiare consilium cardinalium eidem moderando praeficiens. Designavit autem ad hoc munus quinque purpuratos Patres. Nunc commissio constat sex cardinalibus, secretario et aliquibus consultoribus.

e) Commissio ecclesiae legibus in unum redigendis.

193. — Commissio haec instituta est a Pio X motu proprio " Arduum sane „ 14 apr. 1904. Quum Pontifex probe intelligeret ecclesiasticam disciplinam conferre ma-

xime ad eam instaurationem in Christo, quam in ipso sui pontificatus initio sibi proposuerat sui muneris speciale officium et finem, ad eam statim animum suum contulit. Perspexit autem utile valde, imo necessarium ex parte esse, ut universae ecclesiae leges lucido ordine digestae in unum colligerentur, iis amotis, quae abrogatae essent aut obsoletae, aliis, ubi opus esset, ad praesentium temporum conditionem propius aptatis.

Ad hoc insigne et vere arduum opus perficiendum constituit Pontifex cardinalium coetum seu commissionem cum secretario et consultoribus pluribus in Urbe residentibus nec non aliquibus collaboratoribus extra Urbem, quibus hanc vel illam uberrimae materiae partem accurate examinare et schemata proponere articulorum eamdem materiam in codice referentium demandatum est.

Quamvis inter alias pontificias commissiones constitutio nostra eam non refera:, quippe quae non stabiliter, sed in modum tantummodo transeuntis commissionis, constituta fuerit, ea tamen etiam post recentem constitutionem immutata manet et suos labores strenue prosequitur.

---

194. — Duae quoque aliae commissiones transeunti modo statutae sunt ab ipsa constitutione nostra; alia constans cardinalibus cancellario, datario et a secretis consistorialis pro reformandis formulis bullarum collationis beneficiorum sive consistorialium, sive aliorum, nec non bullarum constitutionis dioecesium ac capitulorum et regularum cancellariae; altera trium pariter cardinalium, quos inter cardinalis a secretis status ad instaurandas formas brevium apostolicorum.

ADDENDA.

Iuverit hic referre duas novissimas responsiones S. Congr. Consistorialis, quae respiciunt SS. Romanarum Congregationum competentiam, quarum primam ea confirmat, quae scripseram sub numero 66. Sunt autem sequentes:

1° " Propositio dubio — Utrum competentia super confraternitates, a constitutione *Sapienti consilio* tributa Sacrae Congregationi Concilii, se extendat quoque ad confraternitates et pias uniones, quae dependent ab ordinibus et congregationibus religiosis, vel erectae sunt in eorum ecclesiis seu domibus; an potius haec reservata sit S. Congregationi de religiosis. —

Emi Patres S, Congr. Consistorialis, praehabito consultoris voto, in generalibus comitiis die 9 dec. 1909 respondendum censuerunt: — *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam „.

2° " In generali conventu diei 9 decembris 1909 propositum fuit resolvendum sequens dubium: — Utrum S. Congr. de Prop. Fide, etiam post constitutionem *Sapienti consilio,* suam iurisdictionem exercere debeat super Societates, sive Lugdunensem pro missionibus ad Afros, sive Parisiensem pro missionibus ad exteras gentes nec non super Seminarium Mediolanense S. Caloceri, seu institutum Mediolanense pro exteris missionibus, denique super pontificium Seminarium SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe ad exteras missiones, praesertim quoad ea, quae respiciunt eorum regulas, administrationem, atque opportunas concessiones ad s. alumnorum ordinationem requisitas —.

Emi Patres S. Congr. Consistorialis, votis duorum consultorum aliisque perpensis, responderunt: *Affirmative* in omnibus „.

8733

348.312.14
O)42

Ojetti, Rev. B. (S.J.)

AUTHOR

Romana Curia, De

TITLE

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY